


Mβ
22-d
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 B
31

[illegible]

EPIGRAMMATA

IO. BAPT. VGOLINI




EPIGRAMMATVM
IO. BAPT. VGOLINI
SACERDOTIS
DE MACERATA FERETRANA
LIBRI V.

Admodum Reuerendo Patri

NICOLAO MARIÆ
PALLAVICINO
SOC. IESV

DICATI






ROMAE,

Sumptibus Ignatij de Lazaris. 1675.

Superiorum Permissu.





ADM. REVERENDO PATRI

NICOLAO MARIÆ PALLAVICINO

SOC. IESV

In Collegio Romano Superiorum ſtudiorum Præfecto, Salutem.

OCulos tuos, Adm. Reuerende Pater, à ſapientiſsimis ſacrarum voluminibus paginarum ad haſce nugas meas auocare multum quidem erubeſco: Ruborem tamen, quem incutit mihi ſeriorum, quæ magiſter emeritiſsimus profiteris, ſtudiorum, tuæque ſolidiſsimæ ſapientiæ meditatio, eundem excutit tuæ frequens Humanitatis contemplatio. Hanc ego li-

liberalem semper, sed tum maximè propemodum immensam expertus sum, cum olim in isto Collegio iuuenem in humaniorum litterarum scholas admissum ipse me Præceptor erudiendum accepisti: Erudiebas profectò eximià pietate, & diligentià singulari, neque solùm publicis inter alios, qui te audiebant, documentis, sed priuatis etiam identidem sermonibus instituebas: Et quandoquidem conscribendorum carminum ignarus penitus accesseram, tu me à cæteris pluries segregatum primas ad hæc regulas, & leges edocebas. Si quid itaque, quod quàm exiguum sit, rectè sentio, in arte præsertim poëticà profeci, totum id vni tibi me debere fateor, qui vnus ad eandem primùm mihi callem aperuisti. Quapropter si in memoris, gratique animi monumentum, & Disciplinæ obsequium hos tibi meos Epigrammatum libellos in lucem prodeuntes offero, nihil me tibi meum donare, sed potiùs reddere, quod tuum est, velim, existimes: Sic fluentes aquarum riui, dum in maris gremium, vndè digressi fuerant, iterum

ſeſe deuoluunt, non liberalitatis erga illud, ſed potiùs æquitatis officio fungi dicuntur. Tuà igitur humanitate, qua me ſemper complexus es, accipe nunc hæc tributa mea, quæ ſunt munera tua. Hæc ſi tuo patrocinio dignaberis, non niſi beneficia tua fouebis. Vale.

R.P.T.

Obſequentiſsimus famulus
Io. Baptiſta Vgolinus.

Epigrammata Eruditissimi viri D. Ioannis Baptistæ Vgolini, quæ iussu Reuerendiss. P. Raymundi Capisucchij S. Palatij Apostolici Magistri summa cum animi voluptate vidi, publica luce dignissima censeo, propterea quòd non modò nihil contineant bonis moribus, aut sanctissimæ fidei contrariũ; sed etiam insignem sint Apollinaribus viris voluptatem, studiosis adolescentibus commodum allatura, ob candorem, acumen, elegantiam: præter prudentiam, pietatem, ac modestiam argumentorum respondentem moribus Auctoris, qui laudem illustrem promeretur, eo quòd innumeris curis implicitus ludere ista potuerit, quæ licet effusa plerumq. ex tempore, demorsum tamen vnguem sapiunt, & reuocata pluries ad limam videri possunt.

Io. Laurentius Lucchesinius
è Soc. Iesu.



Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Ap.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Vic.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capisuccus Ordinis Præd. Sacri Pal. Apost. Mag.




IO. BAPTISTÆ VGOLINI

EPIGRAMMATVM

LIB. I.

Ad Patrem admodum Reu. Ignatium Pomplanum è Soc. Iesu olim sibi in humanioribus literis magistrum.



QVæ mihi tradideras, Vatum diuine Magister,
Dogmata, corrupi degener, artis inops.
Riuulus haud aliter sordes admittit eundo,
Nec puras fontis gurgite seruat aquas.
Sisto tibi hæc; certo nam te censore lituras
Fastiditi Orbis plausibus anteferam.
Senseris esse tuum, si quid non displicet; ipse
Gestio non semel hoc posse referre tibi.





1 *Ad supremum verissimæ Sapientiæ Magistrum Christum Dominum; In Instauratione studiorum.*

O Patris Verbum, diuine Magister, Iesu,
Quem sapere est hominē noscere, scire Deum;
Cuius amor, quidquid Sapientia cælitus edit,
Nexibus arcanis edocuisse potest.
Cernis, vt insanis errare laboribus ausim,
Extra te quidquid scire, docere velim.
Da mihi Te addiscam; simul omnia nosse docebis;
Da mihi, Te redamem, cætera dedoceas.

2 *Ad Poëtam Tragicum egregiè scribentem.*

DVm sæua Heroum solatus funera cantu
Cupresso lauros inseris ipse tuas,
Sic tua Melpomene potis est mulcere querelas,
Vt lacrymæ placeant, alliciatque dolor.
Flebilibus deducta notis operosa voluptas
Nos trahit in luctum, deliquijsque beat.
Visere si liceat rediuiuis Manibus auras,
Heroum plaudat casibus Vmbra suis.
At quemcumque canes, animatus Apolline viuet;
Debeat exitijs sic potuisse cani.
Ipse triumphabis, venturaque sæcla cothurnis
Plaudent; his referes tu nequijsse mori.

3 *Ad Amicum calamitosum : quòd infortunia sæpe nos iuuant.*

DEsine flebilibus curas augere querelis,
Dum malè quid cessit, desin fata queri.
Sæpe viris legitur peperisse ruina salutem,
Pluribus exilium regia sceptra dedit.
Si latet ergo malis fons, semen, origo bonorum,
Quid sortis luges nescius ipse tuæ?

4 *Roma gloriæ Mater, & nobilitatis cuiq. laborem adamanti. Ex ipso Romæ, nomine, quod grecè robur significat.*

ROma parens decoris tibi erit, si gloria cordi est,
Et si te tangit nobilitatis amor.
Ast hinc surge animis; labor improbus omnia vincat,
Par est, si Romæ filius esse cupis.
Hinc robur tantæ cur nomina fecerit Vrbi,
Noueris; ignauis hæc negat esse parens.

5 *In Phyllidem, quæ iam anus, omnibus tamen artibus, & studijs puella, & formosa videri affectat.*

OMnia fert ætas, eadem rapit omnia, Phylli;
Consule, ni credis, teque, tuasque genas.

Consule qui quondam crines reuolubilis auri
 Vellera fingebant, inuidiosa Tago.
Nunc vile argentum referunt, & candidus oris
 Pallet honos, frontem squalor anilis obit.
Sparge nuces, Veneris deliramenta; pruinas
 In senio metuit tangere nudus amor.
Nec iuuat ars; crinis cirri crispantur in ore;
 Inque comas oris degenerauit ebur.

6 *Dies Poëtæ natalitius.*

FVnde merum genio; meus est natalis, alumne,
 Quisquis ades, faueas carmine, liba pares.
Indulgere libet dapibus, messemque Sabæam
 Vrere, cum socijs exhilarare diem.
Verum quid facimus? quæ nos dementia versat?
 Proh dolor! est luctu dignior ista dies.
Hæc nos infaustas curarum duxit in oras;
 Hæc luci, hæc lacrymis nos dedit vna dies.
Hinc quando exorimur, deterrima lucis origo est;
 Si bene vixerimus, candida finis erit.

7 *Diua Catharina æquè Sapiens, ac sancta post gloriosum martyrium ab Angelis in montem Sinay transfertur.*

QVidquid iactauit de Pallade vana vetustas,
 Accedat Pietas, hoc Catharina fuit.
Prodijt hæc primùm fæcundà è mente Tonantis,
 Hinc quodcumque refert, grande, piumque sonat.
Disceptando Viros superat, Verique Magistros
 Efficit, atque armat Numine plena fidem.

For-

Fortior assurgens hac ægide, mutat oliuo
Cupressus, palmis plenior inde cadit.
Ergo manu Allgerum par est in monte locari,
Lex vetus vnde data est, alma trophea nouæ.

8 *In Ponticum, qui ducta vxore ante nuptias se demergit in Tybrim.*

VXori dederas fidei cum pignore nomen,
Sponsus ab Eutrapelo, Pontice, pexus eras.
En tibi Athlantæo Sol mergit in æquore currus,
Nox properat, te iam vesper, amorque vocant;
Cum te præcipitem demergis Tybridis vndis,
Nec dominã incolumis, Pontice, ferre potes.
Rem peragis magnã, vilis quam Posthumus olim
Non ausus fertur: num magis inde sapis?
Vir leuis! obstupeo, qui demergaris ab vndâ;
Quin magis obruitur, quæ grauis vxor erat?

9. *De Pictore, qui Phyllidem à se depictam in tabula adamat.*

INspirans animam depinxit Phyllida Pictor,
Nec nouus hic risus, Zeuxis, amore perit.
Vritur in tabulâ; sic insanimus amando:
Fert verè hic telis vulnera facta suis.
Num facé depinxit cæco pictore Cupido,
Atque hìc in pictâ Phyllide viuit amor?
O deuota nimis mortalia pectora flammis!
Viua Venus quid aget, si cor imago ferit?



10 *In prauos mores, & flagitia temporum.*

Astrologos Cinicus maledictis sæpe momordit,
Quod se negligerent, dum nimis astra notant.
Si redeat mundo, soluat reuolubile tectum,
Vt malè nos mulctet, fragminibusque petat.
Imus præcipites; nec Cælum, aut astra tuemur,
Cor nostrum cæno sordidiora iuuant
Nos gula, nos furor, ira, metus, dolus, atra libido
Pro virtute trahunt; hæc libet astra sequi.
Pro Cinico vermis mortalia corda flagellat:
Quàm graue supplicium displicuisse sibi est!

11 *Beatissimæ Virginis Mariæ imago in arboris trunco prodigiosè reperta.*

Dvm nodosa faber proscindere ligna laborat,
Ignotas vires sentit obesse suis.
At rursus tentat, rursusque repulsa securis
Territat incautum; cor stupor altus habet.
Acriùs instabat, cum sese fissile robur
Sponte aperit, monstrum nobiliusque refert:
Virginis augustæ mollissima fulget imago;
Reginam hanc superum senserit vsque nemus.
Seu dedit in truncis natura adolescere Diuam,
Seu Diuinus Amor cuspide, viuit opus.
Viuit opus, viuit; quin audio verba loquentis,
Arguit heu quæ præ hoc stipite corda rigent.

Pre-

12 *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum.*

VIr probus, & viuens virtutibus horrida mortis
Tempora, & occursum non timet, imo cupit.
Mors animum vinclis dissoluit, vt Astra reuisat;
Hæc immortales, hæc facit vna viros.
Quos rapit hæc terris, fæliciùs addere Diuis
Ipsa potest, vitas inserit ipsa Deo.
O pretiosa nimis vitæ immortalis origo!
Viuere quid sit, si hoc dicitur esse mori?

13 *Diua Lucia Diuina virtute immobilis redditur, dum ad lupanar duci iubetur.*

AGna lupis mitti, coruisque columba iubetur,
Lucia Virgineas commaculare niues.
At sic fixa loco est, adeoque immobilis hæret,
Vis hominum vt moueat nulla, boumque labor.
Nequidquam insano fremit horridus ore Tyrannus;
Si mouet hanc, iactet posse mouere Deum.
Disce, habet hæc tantum plenissima Numine pondus;
I nunc, crede leuem Virginis esse fidem.

14 *De Psittaco, qui Dominum innocenter prodit.*

PSittacus auditis famulis, dum sæpe queruntur
In Dominum, & diris pessima vina notant;



Callidus addidicit sermonem fingere, & ipse
Probra loqui meliùs, quàm bona verba sapit.
En herus emptori vinum commendat, & audax
Delicias Bacchi; massica vina vocat.
Psittacus at contra famulorum verba renarrans
Dicit aquis mixta, & pessima vina refert.
Emptor abit, quando plus credidit ille volucri;
Quàm Dominum nullo crimine prodit auis!

15 *Domus Iudicis*.

HÆc Domus Astrex; componere sæua clientum
Iurgia contendit lancibus æqua suis.
Venali clamore strepunt hìc omnia, vt audis;
Turba Patronorum Iuris amica latrat.
Quis tandem vincat certamina longa, requiris?
Ditior, & facilis plus dare victor erit.
Sæcla, viden, redierunt aurea, lancibus aurum
Penditur; hæc iusti ponderis est ratio.

16 *Cur Iurisconsultus Medico praecedat?*

IVristam Medico par est præcedere; quare?
Mentes ille suo, hic corpora Iure fouet.

17 *In Nigrinum auarum, & usurarium paupertatis bona laudantem*.

PAupertas quàm grãde bonũ est, si nosceret Orbis
Quotquot adoratas damna sequuntur opes!
Quàm

Quàm noctu secura quies sub paupere tecto!
Irus habet sudos, & sine lite dies.
Funestare casas violenta Tragædia nescit;
Datque Thyestæas Regia sola dapes.
Anxius hæc memorat, mox computat æra Nigrinus,
Condit opes; numerat fœnora; nonne sapit?

18 *Ad latronem, qui domum pauperis inuaserat.*

PAuperiem quid latro petis? Tibi se ipsa minatur;
Tu te, & tuta potes perdere; at ipsa nihil.

19 *Ad Amicum, cui redeunti in Patriam statim Genitor extinctus est; Consolatio.*

SEriùs iuisti consolature Parentem,
An magis extinctum condoliture senem?
Vicit iter durum pietas tua, sed fera mortis
Tantum iter impietas visa preire fuit.
Verùm plaude: Tuus patri, dum in morte laborat,
Quantum lætitiæ conciliarit amor!
Iuerit ad superos genitor te plenus; at ipse
Plenus eo totum non patiere mori.

20 *Tumulus superbus marmoreis signis ad delicias vsque condecoratus.*

LAsciuit mors ipsa viris, tumulique dolores
Luxuriare vides; funera tanta micant.



Vt longùm illacryment, didicere hìc viuere saxa;
Nititur in lapides sese animare dolor.
Immortalis adest in marmore redditus heros.
Mors gemit ipsa sibi, mors licuisse nefas.
Falleris hæc reputans: ridet mors vera sepulcrum;
Vna tibi virtus, ne moriare, dabit.

21 *Ad Dominum Ioannem Lottum Poëtam eximium, qui inter seligenda sua opera typis mandanda, plurima quanquam optima confutat, & abdicat.*

DVm tua discutimus sacra pignora, maxime Vatū,
Et legimus, quod ouans Orbis adoret, opus;
De te pauca probas, & quæ vel Apolline plena,
Contumulas tenebris, pro patre censor vt es!
Iudicium acre fleat viduanda Europa trophæis;
Tanti est hoc tantum, quod periisse iubes.
O Vbi sit Macedo, vt det scrinia digna sepultis!
Mundus enim edendis plena theatra dabit.

22 *In Detractorem.*

QVidquid agũt homines, carpis, maledicis, & obstas
Omnibus, aspergis dira venena bonis.
Per te nil sanctum est terris: Astræa, fidesque
Ore tuo expectant criminis ore notas.
Errauere tamen, qui te dixere malignum;
Es magis infælix, si tibi nulla placent.

23 *Disticon extemporaneum ad Puerum interrogantem, come si declini l'Inferno.*

VÆ tibi declinare, Puer, si Tartara nescis;
Scire vnum hoc prodest, cętera cuncta nihil.

24 *Immaculatus Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptus.*

PVpula concipitur mox conceptura Tonantem,
Authoremque sinu progenitura suum.
Consiliis Faber æternis hoc sanxit, & illam
Effinxit, qualis debuit esse parens.
I nunc, & labem hic ab origine finge parentum,
Si non hæ sordes dedecuere Deum.

25 *Phyllis ad Deum conuersa flauentes sibi comas abscindit, & ad Crucifixi Christi Domini pedes suspendit.*

POst varios lapsus, post plurima crimina Phyllis,
Phyllis adoratæ gloria prima comæ;
Conuersa ad Numen, pendentis ab arbore Vitæ
Ante crucem cirros, vellera cara, scidit.
Inde pedes Domino nectit, ceu Magdala, & aurum
Gemma fluens oculis nobilitabat opes.

Hìc moitalis amor cæleſti ceſſit amori,
Abijcit ille faces, hic ſibi plaudit amor:
Mox alt arridens; celeres accurrite amantes,
Qui vincta his ſoliti dicere corda comis.
His vt crimen erat vinciri corda catenis,
(O ſortem!) hinc maior ſoluere culpa foret.

26 *Tubera dono miſſa ad Amicum.*

EN tibi quæ irato gignuntur tubera Cælo,
Nigra licet niueo munera corde paro.
Excipe quæ arcanis naturæ viribus auras
Vitales ſubeunt, cum pluit, atque tonat,
Nil radicis egent naſcentia tubera, & ortu
Indecori, menſas nobilitate grauant.
Si ſpeciem quæris, nihil eſt deformius iſtis;
Miraris? Cæli progenuere minæ.
Nam quid pauper ego, niſi tenuia munera, mittam?
Si placidè accipias, Numine digna facis.

27 *Flores egregiè depicti, quos inter anguis innoxiè repit.*

QVis nouus hìc flores animauit germine Apelles?
Fallor, an hortus alit? Sed magis arte vigent,
Luxuriat ceſpes, foliorum pompa ſmaragdos
Effingit, gemmas florea pompa refert.
Ore alius patulo reſupinus ſupplicat aſtris,
Et pars ſuccidua fronde maritat humum.
Hinc ſubeunt calyces, penſantq. è ceſpite damnum;
Crede oculis, creſcunt germina, ſerta parant.
Ars medium effinxit ludentem in floribus anguem:
Viuit; at ingenium eſt parcere delicijs.

Aſ-

Aſpice qui hac animum picturà paſcis inani;
Vel pictum inficiunt viua venena bonum.

28 *Ad pium æquè, ac ingenioſum Pictorem, qui D. Ioſephum, ſanctiſſimam Sponſam, ac puerulum Ieſum inuicem laborantes egregiè depinxerat,*

QVisquis opus diuum tria lumina pingis in vnum,
Vel Triada in ſuperis ſcribere dignus eras,
Mater acu Regina, faber ſua ligna laborat,
Ipſe facem in medio paruus vtrique Deus.
Fortunata domus, fælices amplius artes,
Queis faber æternus ſufficit ipſe iubar!
At quando humanis Diuos tua tela labores
Iungit, vbi hæc pinges, fax tibi Numen erit,

29 *In plurimos, qui cum peſſimè viuant, ſe miſeros eſſe conqueruntur,*

QVid querimus ſortem, quid lamentamur iniquas
Rerum humanarum, temporis ire vices?
Nos ſcelere hunc Orbem vitiamus; in aſtra vapores
Mittimus, hinc fulmen vindicis ira rotat.
Ergo ſi ferro culparum cudimus æuum,
Quis furor, vt nobis aurea ſæcla fluant?

30 *Sobrietatis, & Temperantiæ bonum.*

NAta epulis modico moriuntur crimina victu;
Poto fonte perit fluctibus orta Venus.

31 *Ad solemnia in Christi Domini natiuitate, excitatur affectus.*

EN rorant Cæli, nubes soluuntur in imbrem
Iustitiæ, innocuus depluit Ignis Amor.
Sese aperit tellus, & germinat alma salutem,
Vota Patrum, Numen feruida vota mouent.
Dicite iò gentes; Terris coniungere Olympum
Aduenit omnipotens vel puer ipse Deus.
Numquid adhuc Cælo mortalia corda rebellent?
Nonne ipsas cautes molliat iste puer?
O monstrum infelix! lacrymæ flexere Tonantem,
Cor mihi non mouet, & lacrymat ipse Deus.

32 *Rosæ hyemales, tanquam nascentis Christi Domini auspicium ad Amicam dono mittuntur.*

SÆuit hyems, boreasq. furit, riget amnibus humor,
Squalet humus, moritur gramen, & arua gemũt.
Ver tamen exiguum nostris enascitur hortis,
Paruaque pæstano murice terra rubet.

Num

Num noua Nazareo proludunt ferra Puello?
O Puer æthereis excipiende rosis!
Mitto tibi auspicium fælix; dabit ille salutem,
Qui Puer exoritur: Quid tibi plura? Vale.

33 *Auspicium fœlix ad Amicum in Natalitijs festis.*

IVre vel oblitos saluere iubemus amicos,
Dum verax terris fertur ab axe salus.
Dum Deus æquæuam Prolem delegat Olympo,
Et Verbum b eiuis mittit amoris Aue.
Ergo mihi salue veteres caput ante sodales,
Hos tibi fælices auspicor ire dies.
Ast vbi cōtractum est Verbum, quid pluribus ausim
Scribere? literulas contraho & ipse; Vale.

34 *In eadem sanctissima Christi Domini Natiuitate.*

PRodigijs quæ scena patet! spelunca theatrum
Exhibet, & stabulum Regia digna Deo est!
Nascitur ad mortem vitæ immortalis origo,
Omnia qui complet, fit Puer ille Gigas.
Qui superum est risus, lacrymatur,& horret in antro
Ignis,& in paleis nix calet, alget Amor.
Aut silet, aut vagit, qui condidit omnia Verbo,
Quique ipsum est Verbum, vel sine voce gemit.
Dic mihi Diue Puer proh quàm metuende redibis,
Si te non amo, dum sic mihi amande venis?

AA

35 *Ad auspicandam Amico fœlicitatem diebus festis in Sanctissima Domini Natiuitate.*

DVm Deus in terras Natum demittit ab Astris,
Vt beet, hanc lacrymis, ore salutat humum.
Salue delicium quondam, pars maxima nostri,
Salue, sis fœlix, immemor vsque mei.
Fas hom'ni spectare iubar, montesque bonorum,
Gaudia cui lacrymat paruulus ipse Deus.

36 *Christus Dominus flos campi cælestis maximos inter hyemis rigores terris enascitur.*

FLos campi exoreris, dum squalet terra pruinis;
Vnus diuini scis dare veris opes.
Sol nouus erumpis, dum nox silet alta tenebris;
Vnus es, & verax mentibus ipse iubar.
Cur Verbum cæleste taces, aut plangis in antro?
Corde amor eloquitur, cordibus audit amor.
Vere fruatur hyems, nox lumine, cordaq. Verbo:
Noctem, hyememque meret, si cor amare negat.

37 *Diuinus Puer Iesus exactissime in præsepi depictus ab eximio Pictore Raphaële Vrbinate.*

QVis facer hic Zeuxis spirantem pinxit Amorem,
Et Verbum expressit corpore, carne Deum?

Vir-

Virgo parens iuxta est, sua membra Tonantis adorat;
  Quantum à se parti Numinis instar habet!
In stabulò enatum p: storum turba frequentant;
  Cordis in obsequium rustica dona ferunt.
Viuere ne dubita hìc omnes: quid verba loquentum
  Quæris, vbi Verbum vel sine voce fuit?

38 *Ad D. Stephanum Protomartyrem, dum inter lapides, quibus petitur, videt Cælos apertos, & Iesum &c.*

DVm lapidum te turbo ferit, paterisq. procellam,
  Quæ parat in sicco flebile naufragium;
Quæ tibi syderibus reseratis fulgurat Iris?
  Nauta subi portum, qui patet axe Deus.
Nominis auspicium fælix dent astra coronam;
  Diues Erytreo sanguinis ipse tui es,
His prior ipse viam dum sternis ad æthera gemmis,
  O quot habet dotes Martyris inde cruor!

39 *Ad Pueros Innocentes Christo enato per tyrannum Herodem iussos interfici.*

PRoh quantum vobis sors profuit atra nocendo?
  Regis vt impietas pró nece dona dedit!
Luditis, ò Pueri, quamuis furit ense satelles;
  Quid mirum? innocuis est iocus vsque mori.
Vix enata patent in solam lumina mortem;
  Sed quantæ mors hæc lucis origo fuit?

Dat

Dat palmas, & fert . parat, qui obtruncat Aprilem;
Lusibus hinc vobis palma, corona fuit.
Nunc quoq.(fama refert)cum Numine Iuditis Agno;
Quàm ludente Deo seria ludus habet!

40 *Ad D. Ioannem Euangelistam, qui supra pectus Domini in cœna recubuit.*

DVm Vitæ in gremio cubuisti, Diue, renarra,
Num mortis frater num fuit ille sopor?
Alter in alterius verbum hæc retulistis amantes,
Ipse Deus vigilans cor tibi, tuque Deo:
Dum vigilo dormit mihi cor, dum dormio fælix,
Ipse mihi excubias cor facit, ipse Deus.
Nunc quæ arcana refers confidentissime Vatum.
Nosse dedit vigili Numine ducta quies.

41 *Post dies octo circumcisus est Puer Iesus.*

A Sole æternam timuerunt impia noctem
Sæcula, sanguineas dum tulit ille notas.
Sol Deus enatus gemmis radiare cruoris
Cur subito voluit? quas dedit inde minas?
Quis timor? excidium cruor hic portendit Auerno;
Proh quantum hinc fulsit Numine plena dies!
Disce Orbis pœnas hoc disce cruore Magistro,
Non aliter superas hic docet ire vias.

Fa-

42 *Fælix ineuntis anni Auspicium ad Amicum scribitur.*

EN rediuiuus adest sibi posthumus Annus, & hæres,
Annus vti Phœnix funere partus init.
Hic largitor opum, direptor, diues, auarus
Credatur; donat munera, & ipse rapit.
Se rapit ipse Annus. reparat se a funere. vt orbi
Fata paret: monstrum est; hinc tibi fausta precer?

43 *Idem Annus præteriens quid nobis inferat.*

SÆpe obit, atque oritur, dum nos interficit Annus;
Sed bene viuentes vel perimendo beat.

44 *Ecce Magi ab Oriente venerunt.*

EN Reges adeunt, puerumque in rupe Tonantem
Dignis muneribus Rege, Deoque colunt:
Quin mea paupertas ditescere curris ad antrum,
Quà tibi se munus præbeat ipse Deus?
Ille inopes, ditesque fouet, dum nudus, inopsque
factus, pauperies vt sua ditet humum.
Quid cor inops dare te dubites? quam diues in illo
Tecum paupertas sit mea plena Deo?

45 *Ad Puerum Iesum fugientem in Aegyptum.*

QVid fugis? Anne times, cui fulmine militat æther,
 Dum Puer Ægypti barbara regna petis?
Te timet impietas vix natum, Infantule, cunæ
 Diue tuæ terrent; quale tribunal erit?
At tu parnte fugis, vel ne timeare recedis;
 Quin ego; si te adamo, pectore, corde sequor?
Paruulus exul eris, sine quo miser exulat Orbis:
 O dulce exilium te procul orbe sequi!

46 *Christus Dominus primo prodigio aquam in vinum conuertit ad Nuptias.*

FOrte fauens Hymini conuiuium adierat hospes
 Numen homo, nostrà vt carne latebat inops.
En Sponsi in medio sibi vina deesse queruntur;
 Sic in delicijs parca laborat humus.
Mandat aquas haurire Potens; paretur; at humor
 Senserat imperium, ac optima vina refert.
Conuiuante Deo instituunt miracula mensas;
 Nonne hic sacra fames, & pretiosa sitis?

47 *In Timorem.*

QVid præsage mali, scelerate tyranne, minaris,
 Sæue timor? miserum me facis ante diem?
Nil timeo ærumnis duratus corda: salutem
 Non habet hæc tellus; quid timuisse iuuet?
Quid

Quid mihi pauperiem intentas, qui nudus in orbem
Processi, & moriens omnia nudus ero?
Nũ mortẽ minitaris, lamem hanc, quæ carcere soluet:
Incepi nascens protinus inde mori.

48 *De Spe, & Timore.*

SPes meliora monet; sed cor timor improbus angit;
Si sub sole nihil spero, timebo nihil.


49 *Ad Eminentiss. Dominum Card. Cæsarem Rasponum, cui sacram purpuram gratulatur, & auspicatur maiora.*

TE prius excierant Gentilia crura Leonis 380
Currere ad insignes, ardua quæque, gradus.
At tua Te augusto plenissima Cæsare Virtus
Stemmatis auspicium vincit, & Astra mouet.
Quin etiam nuper componens maxima rerum
Vel pendere Tuis nutibus Astra docet.
En tandem Tyrio fulges conspectus in ostro,
Et iubar hoc ingens clarius inde micat.
Quod superest, per Te sibi redditus Orbis habenas
Iam vouet, vt quondam se moderere Tuum.

50 *Titiana Virgo, & Martyr saucia ex vulneribus pro sanguine lac effundit.*

LAc niue candidius quidnam pro sanguine fundis, 390
Vulnere milleno dum, Titiana, petis?

Num



Num candore fidem testaris, & inclyta mortis
  Fata triumphalis par decet iste color?
Sic placet innocuis fine sanguine victima Diuis,
  Quæ neque sanguineo innere tincta madet.
Quàm bene te Sponsus sibi sanguinis ipse mantat!
  Lac rubet inde tuum, virgineæque niues.

51 *D. Thomas Apostolus in fide dubitans.*

CVm dubitans tangis rediuiuà in carne Tonantē,
  Nonne est hoc manibus tangere posse fidem?
O fælix error, dubium fælicius! olim
  Quam fidei verax ipse Magister eris!
Quid dubitasse fuit, certos nisi pandere sensus
  Vel digitis fidei, quam tetigisse doces?
Ergo fidem dubio veram tibi debuit Orbis,
  Dum credis, debet, quem ipse fatere Deum.

52 *Argantes moriens ad viuum depictus.*

DOctus Apellæis animare coloribus vmbras
  Pinxit ita, vt mortem viuere posse putes.
Cernis, vt Argantem supremà in morte minacem
  Fecerit! audires iurgia, sed moritur.
Crede oculis; loquitur, vomit ore, minasq. facesq.,
  Aspice Tancredin, victor vt vsque pauet!
Sorte suà fælix ita pingi gaudeat Heros,
  Cui datur hic nunquam in funere posse mori.

53 *Ad Somnum.*

BLande sopor mergens lethæo in fonte dolores,
Quique minor curis cura leuamen ades;
Quem mortis fratrem dicunt, obliuia menti
Dum paris vt functæ, paruaq; fata refers;
Sic tibi flos obeat crinem cereale papauer,
Blaudaque sic adamet te Pasithea procum;
Te sine qui languent, oculis illabe e nostris,
Paruaque mors vitæ tu medicare malis.
O votum infælix! Curarum maxima curis
Supremis aderit mox medicina Soror.

54 *Ad Dominum Ioannem Lottum Poëtam eximium, qui plura dysticà conscripsit enato Galliarum Delphine in ludis igneis ab Eminentiss. Card. Antonio Romæ editis.*

DVm canis ad ludos nato magna omina Regi,
Esse tibi ludum prodigiosa doces.
Miratur quicumque sapit tua dystica, & Orbis
Auspicium, & debet iam tibi quanta canis.
Igniuomum, quod vixit opus, pulcherrima moles,
Versibus hæc animam debuit ipsa tuis.
Quanti hoc! delicijs, quas vel breuis hora peremit,
Pergit diuino in carmine Roma frui.

Ad

55 *Ad Eminentiss. & Reuerendiss. Dominum Card. Sfortiam Pallauicinum, plausus, & gratiarum actio, quod carmina D. Virginij Cæsarini edi iusserit.*

QVæcunq. edideras Tua pignora mundus adorat,
Eq. Tuà verax mente Minerua viget.
At dum Virginij per Te modo musa reuixit,
Et raptum hunc tatis Vrbs hilarata colit;
Proh quantus tibi crescit amor! quæ gloria claret!
Quantum præsentis Numinis instar habes!
Aurea quin sperent, Te Principe, sæculá vates,
Extinctos quando nec sinis ipse mori?

56 ***Virtus à vitio oppugnata, non tamen expugnata Deo vindice, & præmio triumphat.***

INclyta in Orbe virû (quis crederet?) inclyta Virtus
Vel facit augustis dotibus vná reum:
In regno nam ferre suo nequit aurea crimen
Lumina, & infensum ferrea bella mouet.
Hinc quicunque negat sese immiscere tenebris,
Sternitur; insontem noxa inimica premit.
At velut Antæus tactà tellure resurgit
Vir fortis, repetit prælia, co de gigas.
Cum vitijs sese ipse triumphat, & Hercule maior
Hinc pede inoffenso ad sydera tendit iter.
Gestit amor superùm, Capitolia pandit Olympus,
Victori palmam se facit ipse Deus.

Quan-

57 *Quanti sit habendus verus Amicus.*

NOn tanti pendenda lues ; retiosa metalli,
 Vnde Hermus flauet, Gangis arena rubet:
Non quot Erytreo mittuntur ab æquore gemmæ;
 Non quod ver Cilicum, ver Arabumque fluit:
Non quæ depectunt mollissima vellera Seres;
 Non quidquid passim gratius Orbis habet:
Quanti cana fides, quanti est iucundus Amicus;
 Ille tibi (si habeas) omnia solus erit.

58 *Diuus Martyr Castorius a Diocletiano iussus interfici, quia Deorum statuas noluisset effingere.*

CAstor Christiadum sculptor, verique Tonantis
 Iussus erat fallos scalpro animare Deos.
Non vnquam nostri viuent ope marmoris, inquit,
 Quæ scio non vsquam viuere monstra Deum.
Sic ait, & rigidæ dum præbet colla securi,
 Emoriens animat teste cruore fidem.
Praxitelem hunc sacrum nunc sydera cingitis auro:
 In Cælo sculptor viuere dignus erat.

59 *Ad Dominum Augustinum Fauoritum, de pluribus carminibus, quibus ipse Eminentissimum Principem Cardinalem Flauium Chisium celsissimè commendat.*

DVm vates Heroa canis, dumq. inferis Astris
 Sydus adoratum, quantus & ipse micas!

B Lu-

Lumen vtrumque nitet, tellus miratur vtrumque
  Calliopemque tuam, sydereumque iubar.
Viuite Nestoreos ambo fælicius annos,
  Aurea fax populis, Numen vtrumque mihi.
Gentibus ista precor, nam consulis ipse futuris
  Temporibus, Domino consulis ipse tuo.
Viuet vt ipse almo immortalis Apolline Princeps,
  Æternum tu cum Principe Nomen eris.

60 *Quid sit Amor?*

QVid sit Amor, quæris? terris quis nescit amorẽ?
  Si quod viuis amas, viuere amare tuum est.
Consule vel te, quidquid in orbe requiris amando,
  Num fatuus, disces, num pretiosus Amor?
Terrarum sordes optans, tua damna sequeris,
  Has inter curas desipit omnis amans.
Vota in amore time, votis potiere malignis,
  Desperans votis vel moriere tuis.
Sic palmaris Amor fuerit dementia Cordi,
  Si vel ames te ipsum, te male amando neces.
Vnus erit non cæcus amor redamare Tonantem;
  Hic bene te possis perdere, amando mori.

61 *Ad Cynthiam olim formosissimam puellam, nunc anum, & satis deformem.*

OMnia deficiunt, vel marmora deuorat ætas:
  Quid querimur florum germina, veris opes?
Hæc memor vsque tuo contemplor in ore ruinas,
  Cynthia, cui formæ gloria tanta fuit.
Quæ rugæ subiere genas? vorat atra senectus
  Quidquid adorabant plurima turba proci.

Quid

Quid coma, Gangis honos, vaga vellera tortilis auri?
Iam cadit argento vilius omne decus.
Risibus ergo aude piatorum fidere, quando
Sic poma Hesperidum depopulatur hyems.

62 *Voluptatis perniciosæ imago.*

Pontus habet saturata malis sua mella venenis, 508
Vnde fauo ad mortem blandè aconita bibas.
Huic melli haud dispar est insidiosa voluptas;
Quos alit incautos nectare, dira necat.
Disce timere luem, quam gaudia dulce propinant;
Horridiùs perimit quæque ruina placet.

63 *Quodque vitium est morbi species ægroto iucundissima.*

Est vitium morbus, libet ægrotare; quot ergo
Sint ægri, vt morbum perdere quisque timet?

64 *Daphnidis simulacrum fugientis, & in laurum degenerantis, Illustrissimi Equitis Bernini opus in Pinciana Burghesij villa.*

In saxo timor arte viget, fuga mobilis hæret,
Virgo metu torpet, scalpro animata riget.
Hinc fugeret Daphne vel saxea: sed timor idem 510
Qui fugat, attonitum comprimit ipse gradum:
Quanquam abit in laurum, fugit auersata sequẽtem,
In lauro radix sed fit ab arte lapis.

Se talem optaſſet Daphne, niſi pulcrior eſſet
Hoc cœlo, metuens hic quoque viua procum.

65 Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. Principi D. Flauio Chiſio poſt Theologicam diſputationem ad mentem ſubtiliſſimi Doctoris: gratiarum actio.

LVſimus: exactis cadit hic è noctibus vmbra
Sydere ſplendidiùs nobilitata tuo.
Luſimus: Exiguis flecti te Principe dignum eſt;
Excipe: conciliant paruula ſæpe Deum.
Sic ſacra diſcutimus; verum ſine Numine Numen
Non datur attingi; Numinis inſtar eras.
Si malus error ineſt, noſtri dic eſſe Cometæ,
Si quid lucis habent, Syderis eſſe tui.

66 Plurima pretioſiſſima ſunt licet minima.

MAius in exiguis pretium eſt, ſic tota laborat
Natura in minimis, quæque operoſa facit.
Paruula dum ſtuduit donare animalia vitæ,
Dic animaſſe atomos, viuere poſſe nihil.
Sic decus eſt pelagi paruis non vile lapillis,
Nobilitas eadem ſic adamanta grauat.
Mons Elephas viuens, moles animataque dente,
Nobilis exiguâ eſt bellua parte ſui.
Sic ne contemnas hominem, niſi mole ſuperbit
Corporis: ingenio eſt creſcere nobilius.

Do-

67 *Dolor ab effectibus in homine describitur.*

PAllescit facies obducta nube doloris,
Frontis honos pauidæ plurima noctis habet.
Effingunt geminata feros suspiria ventos,
Pallida inexhaustis fletibus ora natant.
Quin etiam insani lapidescere sæpe dolores
Corda iubent; in aquas mœror abire negat.
Materies luctus nec abest, si deficit humor,
Nullaque nube caret, si caret imbre dies.
Nec tamen in t ntis homo viuere luctibus horret;
Vsque adeo infælix mors medicamen erit?

68 *Ad Amicum, cui Chyrothecas dono mittit.*

DEbeo magna tibi; sed quid maiora requiras,
Si totas capiunt hæc mea dona manus?

69 *Ad peritissimum artificem, qui horariam molem à se fabrefactam in annuli gemma digito circumfert.*

PRodigium! rapidas metitur temporis horas
Tantula gemma tibi; quid nequit artis opus?
Vix oculis credam: tam paruulus ordo rotarum
Deuincit tempus compede, dente premit.
Obsequiosa geri digito tibi tempora credam,
Ni vel te vlciscens tempus, & hora voret.

O breuis horarum carcer! Sed vt arte laboras
Temporibus metas, hinc tua vita fugit.

70 *Mors in horologio horas indicat.*

MOrs horas numerans vitæq., suiq. magistra est,
Viuere disce:Vides quò tua vita ruat?

71 *Rosa hyberna, munusculum ad amicum.*

HÆc Rosa veris amor,peregrini risus amoris
Enata est nostri hoc tempore ruris honor:
Lucis in obsequium aurorà redeunte rubentem
Vidimus, & solers carpere cura fuit.
560 Exiguum est munus, nihil est; sed murice viuo
Digna fuit meritis dona venire tuis.
Talis imago tua est: alienis mensibus orta hæc,
Tu probus effæto tempore serta meres.

72 *Ad Dominum Achillem de Seuerolis Doctorali legum laurea insignitum, de Gentilitij Gryphis capite, cum epigraphe, ne incubet auro.*

DAt leges Gryphi,ne sordidus incubet auro
Insigne egregium, qui tibi Gentis honos.
Gentilem Gryphin nunc Legibus ipse maritas:
Aurea lex; aurum hinc pulcrius ales habet.
Ergo tuus tecum Legis Gryps incubet auro;
Non poterit curà nobiliore frui.

In

73 *In medio Virtus.*

OPtima pars medium;locus est virtutis; vtrinque
Ni cauet hæc modicum flectere, fit vitium.

74 *Nero Imperatorum mollissimus idem, ac sceleratissimus se ipsum occidens sceleris edocet impotentiam.*

POst scelerum genus omne coactus pędere pęnas,
Nec percussorem,quo iuguletur, habet.
Se ferit ipse Nero; sed tantum assueta malignis
Tam facere egregium dextra nequibat opus.
Hoc volo: se lentè festinet perdere Cæsar,
Vt trahat,& mortem sentiat ipse suam.
Digna Nerone manus! nec debiliore perire
Peiùs, nec poterat deteriore mori.

75 *Cathedra Diui Petri Romæ.*

INgreditur Petrus augustæ fera culmina Romæ:
Vrbs mundi verax incipit esse caput.
Addiscit Regina fidem, quà fulciat axem;
Hactenus vt terras sustinuisse tumet.
Magna parens fuerat populorum in crimina;sed nūc
Ius fidei gentes erudit ipsa suas.
Gemma Orbis Roma est hoc Piscatore magistro,
Hìc verè, hìc solum reddita Roma sibi est.

76 *Ad Reuerendiss. P. Hyacinthum Libellum è Secretario Indicis, & Prouinciali sui Ordinis Magistrum Sacri Palatij designatum.*

E Magno ad maius fuccede,Libelle, gerendum
Munus,vt auguftas dignus obire vices:
Quò tua nobilitas, probitas vocat, inclyta virtus
Euehit emeritum vera Minerua iubet:
Roma tibi plaudit, maioraque fpondet auitus
Ifte Leo,quem cum Sydere Quercus amat.

77 *Inuidia est optimum oculorum medicamentum.*

I Nuidia exacuit fic liuida lumina, vt agnos
In grege vicino dixerit effe boues.

78 *Diuus Martyr Sebastianus sagittis confossus.*

Q Vis prior inftituit pennis animare fagittas,
Vnde volent mortes? ingeniofa lues!
Hinc te fæua petunt tibi fpicula grata,Sebafte,
Grata, quòd ad fuperos tela volare docent.
Impietas, quòd difcat habet: data corpora pœnis,
Exhibet in Cœlo viua trophæa fides.

79 *Diua Agnes Virguncula tredecim annorum Martyr glorioſa.*

IMmites vincit (quis crederet?) agna leones:
Virgineas renuit tangere flamma niues.
Lactea membra pauet lictor, tremit ipſa ſecuris.
Exiguum corpus vulnera magna timent.
Nil Agnes nil parua pauet, fideique gigantem
Pupa refert; tantus funera ludit amor.
Tantula dum nubit Chriſto matura, probari
Quonam teſte queat viuidiore Fides?

80 *Coruus S. Martyris Vincentij corpus à cœteris auibus, & à lupo defendit.*

COruus vt exuuias extinctaque membra tuetur,
Vincenti! prædas num timet ipſa fames?
Quàm mutat natura vices, vbi bellua ſentit
Cæli depoſitum, proque vorando colit?
Quin potes impietas coruo didiciſſe magiſtro,
Quem docuit Martyr viua Columba Deum!

81 *In Conuerſione Diui Pauli.*

SAule, quid inſanis, in eum quid fata minaris,
Qui rotat imperio ſydera, fata regit?
Hinc te lux auguſta ferit, vox perſonat aures;
Fulmine non poteras nobiliore peti...
Inde oculis captus præceps deuoluens Athlas
Perfidiæ; at Chriſto ſurgis amoris Athlas.

Tanti erat, vt fieres mox Paulus, & orbe tonares;
Vox dedit esse tubam, lux dedit esse iubar.

82 *In duos famulos de Dominorum parsimonia altercantes.*

SEria nuper erant geminis certamina seruis,
Lisque erat hæc; vtri parcior esset herus.
Alter ait, parcus meus est; meus alter, auarus,
Clamitat; ille, meus totus auaritia est:
Hic iterat; rapido meus esse tenacior orco
Creditur: hinc famulis nobilis ira furit:
Res iamque ad gladios: hic protinus extrahit ensem.
Siste alter, namque hæc vestis herilis, ait;
Vestibus ille iubet potius, quàm parcere vitæ;
Me hic timor exarmat; parcior ergo meus.

83 *Speciosi contra inimicos vltionis modi.*

EST genus vlcisci probitatis amabile telum,
Quo ferias, qui te viderit esse bonum.
Sequius vlciscere, tuo si parseris hosti;
Compenses odium munere, plus facies.
Extremum genus indicit lex alma Tonantis:
Dignius vlcisci Numine nemo potest.

84 *Veracis patientiæ Bonum.*

VIuere in orbe labor, cura est, mors longior, ergo
Disce pati; Cælum suspice; perge mori.

Ad

85 *Ad sanctissimum Puerulum Christum Iesum, qui depictus inter Diuina mortis instrumenta dormit.*

PArue gigas, Diuine Puer, fax cordis Iesu,
Quis te sic pinxit? quæ tibi amica quies?
Inter flagra, crucesq., super genus omne dolorum
Diue qniescis Amor, te sopor altus habet.
Proludit morti somnus, fraterque sorori;
Vna tibi hæc somni pax operosa placet.
Quàm tibi sunt cordi vitalia funera terris!
Te tabula hìc monstrat nocte, dieque mori.

86 *Hyems rediens hominis senectutem refert.*

QVid monet, autumni cum frigora senserit arbos,
Dissoluens anno iam fugiente Comas?
Terra recedentem morienti gramine Solem
Suspirat, sponso ceu viduata gemit.
At mea canities folijs æquæua caducis
Quid notat annorum iam subeunte gelu?
Vtraque tristis hyems properat telluris, & æui;
Ver illi, ast huic heu nullus Aprilis erit.

87 *Ad Dominum Ioannem Lottum Poëtam eximium; in fulminis ab eodem descripti laudem.*

QVisquis non metuit peccando accendere in iras
Numen, & insanis ausibus astra petit;
Fulminis addiscat vires te, Lotte, magistro,
Vltrices furias, quas globus ille vomit.
Prosiliunt rapidi disruptis nubibus ignes,
Orbis in excidium Tartara ab axe pluunt.
Ambitus irarum si stragibus omnia miscet,
Tu fatale refers pondus, & ore tonas.
Plus iuuat iste labor; per nimbos fulmina terrent,
Solis ad inuidiam fulminat ista Chelys.

88 *Ad quendam Poëtam de varijs ab eo carminibus lyricis super Christi Domini sudore sanguineo egregiè compositis.*

PIndi Reginas Regi seruire dolorum
Dum dulce instituis, quàm placet ipse dolor!
Seu pœnas florere doces, vernare cruorem,
Seu florem æthereum vere perire doles.
Seu Pacis æternæ simulata per oscula bellum
Illatum quereris, carmine corda rapis.
Hinc tibi, quod Pietas, debebit Musa; canora est
Te duce Relligio, relligiosa Chelys.

Di-

89 *Diuus Paulus Eremitarum princeps plenissimus annis, & meritis emoritur, & triumphat.*

PAulus, vt effugiat lucem, se condit eremis,
Antra sed hoc fulgent hospite digna Deo.
Textilibus palmis se vestit, fructibus inde
Vescitur, vt totum viuere palma foret.
Militat hinc superis per palmas; inde minister
Quaque die hunc ceteris fragmine Coruus alit.
Quam Cæli emeritus scandit Capitolia? palmas
Bisdenis lustris cogere vita fuit.

90 *De Statua Adonidis mollissimè cælata: visitur Romæ apud Illustriss. DD. de Righinis. Inuitatur amicus ad videndum.*

TEcta subi: dubitas? Spirantia marmora viuunt
Arte noua; addidicit luxuriare lapis.
Phydiacà hìc animata manu referuntur Adonis
Sic ora, vt Veneris marmore spiret amor.
Mollescit saxum, veros venatur amores,
In saxo puer hic saxea corda rapit.
Flebilis heu fuerit simulacrum quisquis amauit;
Dignus amore lapis, si modò talis erat.
Te venus hoc Cælo arsisset feruentiùs, inde
Non tibi fatalem tam timuisset Aprum.

Hye.

91 *Hyemales violæ, ad Amicum.*

SEnta situ, populata gelu suspirat honores
Terra suos; violas hinc parit ipse dolor.
En pallent; prolem luctus, viden, esse parentis?
Mœror at hoc placet in germine, pallor olet.
Post violas hilarata rosas dat munera tellus;
Nunc mihi sortis hyems; dem tibi vere rosas.

92 *Ad D. Iacobum Albanum Gibbesium emeritissimum in Almæ Vrbis Gymnasio Rhetorices Lectorem, de Astræa regnante ab eo edita sub auspicijs Sanctiss. D. N. Alexandri VII.*

690 NVllus Alexander, te vate, requirat Homerum,
Quando, Albane, tibi tantus Apollo fauet.
Regnantem canis Astræam, quo carmine terris
E Cælo Astræam vel reuocare queas.
Viuat Alexander, reducique in Virgine regnet,
Nec post fata queat, si canis ipse, mori.

93 *Ad Dnūm Mercuriū Valentinū, cuius Gentilitium Insigne commendatur in plausu, dum idem Doctorali legum laurea insignitur.*

CRedere fas: Terris iam coniungetur Olympus
Iustitiā; hoc terno in sydere Luna dabit.

Hæc

Hæc tibi in Insigni fulgent: pars maxima Cœli est;
Neu Iubar hoc erret, Legibus ipse facis.
Hinc nouus Endymion Lunam veneratus amabo.
Quæ per te didicit certiùs ire vias.
Quàm bene Iura dabis populis, qui rexeris astra?
Cuique decus tantum fas habuisse domi?

94 *Diuus Thomas à Villanoua adhuc puerulus sese exuit, vt egenos vestiat, suosque ijsdem cibos abstemius ipse partitur.*

Villanouanus adhuc infans virtute magistrà
Crescit ita, vt fiat iam pietate gigas.
Exuit hinc vestem, pueros vt ditet egentes,
Iamque athleta Erebo nudus & arma mouet.
Sæpe dapes inopum turbæ partitur, & vltrò
Se premit esuriens; ò pretiosa fames!
Quid nō hæc spondent? qualē hunc mirabitur ætas,
Si gerit Alcidem robore paruus Hylas?

95 *Idem inuitus, & lacrymans ad Episcopatum Valentinum assumitur.*

Cingit iò, vir summe, tibi caput infula, quamuis
Omne decus refugis, natus ad omne decus.
Plaudimus hinc populis, qui te accepere parentem,
Quos Cœli charites, te veniente, beant.
Tu gemis: hisce oritur lacrymis operosa voluptas,
Sic placet auroræ fletibus vda dies.
Victus es, vt caperes, quem spernēs vincis honorem,
Sed nec honor sperni iam sine honore potest.

Idem

96 *Idem inter lacrymas pauperum moritur, cum iam omnia sua ijs distribuisset, ne lectulo quidem sibi retento, vbi iacebat.*

DVm moreris, lugent inopes, Pater optime; possis
  Despicere? at iam nil dare pauper habes.
Nudus inops moreris, postquam vel strata dedisti,
  Vnde ageres animam; quid rediuiue dares?
Dant inopes tibi iusta Pater; chrystallina surget
  Vrna tibi, in tumulum gemmeus humor erit.
Emorere: erumpent cælestia dona sepulcro;
  Syderibus diues quid nisi & illa dabis?

97 *Ad D. Ioannem Frillium tunc Capranicensis Collegij alumnum, nunc verò fælicius in Soc. Iesu Religiosissimum, & emeritum magistrum, dum amœnissimè argumentum de verno tempore descripserat.*

DIgnus es ingenio describere veris honores;
  Nam tot delicijs vel fera vernet hyems.
Sic tibi quæque dies æternum seruet Aprilem,
  Vt calamo eximius florida cuncta facis:
Terra suas tibi debet opes, debemus & omnes,
  Dum facis æternum, quod rapit vna dies.

Ad

98 *Ad eundem, dum alterum argumentum scitissimè extenderat, Matrem scilicet Coriolani ad filium iratum concionabundam.*

SEu vernos risus describis, & inferis astris
Germina, delicijs non moritura tuis;
Seu Matrem hìc nato validissima bella monentem
Inducis, Cælo est dignus vterque labor.
Vt tonat eloquium! vt veneres, charitesq. per omnem
Affectum misces! vt tibi vincit amor!
Quem sermone refers, tibi Nestoris auspicor annos,
Et quidquid scribes, nesciet indè mori.

99 *Ad eundem Responsio ad Epigramma in laudem authoris, qui commendauerat sacratissimæ Virginis simulacrum extinctum filium sustinentis opus Bonarotæ in D. Petri.*

CArmina, quæ scripsi musis, & Apolline nullo,
Dum laudas, Frilli, numine digna facis.
Argumenta quidem fuerant satis apta camænis,
Cum solis canerem in Virgine deliquium.
At cum nesciret lumen dare musa tenebris,
Solis erat mersum funere, nocte decus.
Sed tu dum referas nostræ tua lumina nocti,
Quod Michaël scalpro, versu animare potes.
Ger-

Germinet ergo tibi vitali è funere laurus,
  Quando tuo melius carmine viuit opus.

100 *In Pictorem imperitum, qui Lucretiam Romanam ineptissimè depinxerat.*

TAm tibi deformis picta est Lucretia, vt ipsum
  Suspicione virum soluat, amore procum.
Nullus inest in fronte decor: procul iret adulter,
  Si Matrona foret qualis imago tua est.
Sic pingens, Veneris nullos venaberis ignes,
  Quamuis Vulcano dignius esset opus.
Si quando formosa mihi contingeret vxor,
  Vt pingas ipsam, tu mihi Zeuxis eris.

101 *De Vineâ iam vindemiatâ, quæ quasi mortalis vitæ speciem præsefert.*

DElicium quæ nuper erat ditissima gemmis
  Vinea, Bacche, tuis, quàm sine honore iacet!
Pallidior buxo emoritur, velut ante smaragdos
  Pampinus exhibuit, concha racemus erat.
Orba parens nunc sordet humus, nec supplicat astris,
  Quæ nec roris eget, quam neque terret hyems.
Heu sic prætereunt vitæ mortalis honores:
  Vix dedit vna ætas, quod rapit vna dies.

102 *Ad Amicum diuitem:*

DEbeo multa tibi, quod me venereris amando,
Quod me commendes, quod mea facta probes.
Omne feres punctum, si quid donaueris, & me
Non tam dissimilem feceris esse tibi.
Paupertas opibus proh quantum dissidet! Ergo
Nonne vides, erimus qua ratione pares?

103 *Sanctus Martyr Adauctus, qui generosissimâ sanctæ fidei confessione, dum videt Felicem ad martyrium perduci, ipsi meruit adiungi.*

O Qui Christiadum confidentissime pœnas
Sponte petis, qui pro munere funus amas;
Quisquis es, huc votis accede, beare cruentis;
Multiplici inscriptum sydere nomen erit.
Fœlix omen habes Fœlici iunctus; Adauctum
Hinc te Christiadæ nescia turba vocant.
Oh liceat nobis sic perdere nomen, vt astris
Nos terris raptos cuspide scribat Amor!

104 *Ad Excellentissimum Principem D. Benedictum Pamphilium eximiæ indolis adolescentem, & Humaniorum tunc litterarum in Collegio Romano studiosissimum.*

STemmatis augustos superas, Tua Ilia, flores,
  Inde Tibi palmam serua Columba gerit;
Ingenio superas; & quod satis esset auitum
  Ferre Tibi, indicium est Indolis omne Tuæ.
Proh quantã spondent virtutũ hæc germina messem,
  Palladis ò nostræ gloria, palma, decus!
Auguror; in Te, qui non ementitur, Apollo
  Nil Patruo inferius plenior ore notat.

105 *Diua Maria Magdalene piè, & exactè depicta.*

DOctus erat tabulis animas depingere Apelles;
  Qui facer huic operi viuere, amare dedit.
Inspice, queis oculis, quàm celsà mente requirit
  Magdala picta Deum! vt fletibus ardet amor!
Quàm formosa placet! sed non lasciua dolorem
  Commendat; luctus non petit iste [illegible].
Viuere crede comas vndantes fluctibus Hermi;
  Vellera dic plantas tergere digna Deo.
Et ceu talis erat, dum Cælum hinc quæreret, inde
  Sic pingi vultus, sic velit illa suos.





IO: BAPTISTÆ VGOLINI


EPIGRAMMATVM

LIB. II.

Ad Patrem adm. Reu. Gulielmum Dondinum è Societate Iesu auctoris olim in Rhetorica Magistrum.

QVas dederas leges, & diua exempla poësis
Meus oblita mihi perdidit omne decus.
At dicuntur aues fœtus exponere soli,
Siue probos vt alant, degeneresue necent.
Audeo non aliter viles tibi sistere lusus;
Dele, oro, penitus, si tibi nulla placent.
Si qua probas, secerne, notans quæ danda tenebris;
Emendare malum hoc parua litura nequit

800



Ad

1 *Ad Diuum Ignatium Loyolam Soc. Ieſu Fundatorem, & de toto Chriſtiano orbe optimè meritum.*

QVantus es, o Loyola, prius dum Marte relicto
Militiam aggrederis, quà tibi bella moues!
At quanto es maior, debellaturus Auernum
Cum bene te munis, arma viroſque paras!
Ocyus hinc totis ſenſerunt crimina terris
Se peti, & ex omni pellier orbe nefas.
Nequidquam arctois caput hæreſis extulit oris;
Ceſſerunt armis omnia monſtra tuis.
Sanctior inde Deum ſibi redditus orbis adorat;
Sed foret vt talis, debuit ille tibi.

2 *Ad eundem de Diuo Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo per ipſum miſſo.*

IAm, Loyola, tuis procul æſtuat India flammis,
Quas per Xauerium fundere & inde potes.
Ipſe quidem Proles à te nil degener illas
Luce, fide illuſtrat, ſole ſtupente, plagas.
Itque, reditque vias, vaſtiſſima regna remenſus;
Prodigijs pluſquam greſſibus æquat humum.
Non timet innumeris caput obiectare periclis;
Pro Cruce quis narret quot ferat ille cruces?
Plus decies centena hominum vir detrahit orco
Millia, & hos ſacris dextera luſtrat aquis.
Plaude tibi, Ignati; quanti eſt ex orbe remotum
Hoc noſtro Mundum iam domuiſſe Deo?

Ad

3 *Ad eundem Diuum Ignatium de Vniuersa Societate ab eo fundatâ, gratulatio.*

GRatulor Ignati; Heroum tua digna propago,
  Gens tua proh quantum prodigiosa viget!
Hinc prius orbe labans pietas, genus omne triũphat
  Virtutum, in cultu Numinis omne decus.
Non modò scire docent moresq., Deumq. iuuentam;
  Cælestis speciem hinc gymnadis Orbis habet.
Hi calamis, alij eloquio cælestia pandunt
  Scita, voluminibus sacra Minerua micat.
Fortiùs extremis terrarum in finibus audent
  Firmare illatam sanguine, morte fidem.
Hinc, Loyola, tuis oh quantum explebere votis,
  Quando Deo vberiùs Gloria maior erit!

4 *Ad Patrem adm. Reu. Danielem Bartolum Soc. Iesu Scriptorem eximium, & eiusdem Societatis historicum; de gemina Aeternitate ab eo nuper edita.*

PEr calamum, eloquiumq. tuũ iam sanctior Orbis
  Quodcumque edideris, Bartole, adorat opus.
At nunc in gemino Aeterno, quod promis, vt ardet
  Instructus, quantum debeat ipse Deo!
Dignas ingenio curas, vt mente rependat
  Quisq. hominũ æternus quàm se adamarit Amor!

Cur

Cur se de nihilo tulerit tot mille relictis ,
Edere quot poterat cælicus ille faber ?
Inde quid extiterit fæcundâ in mente Parentis ,
(O amor omnipotentis!) quidq. futurus erit.
Sic hominum mentes, Daniel, super æthera tollis;
Hinc tibi quid referat , grandia quisquis amat ?

5 *Ad Diuam Martham Virginem hospitio Christi nobilissimam.*

NObilis hospitio fueras quæ, Martha, Tonantis,
Tecta subi superum, sponsa Tonantis eris.
Non ibi te doleas solam seruire ministram;
Ipse minister aget , qui tibi sponsus erit.
Non ibi sollicites fraterno funere sponsum;
Sol ibi inocciduus , vita perennis erit.
Excipere erudias nos terris pectore Numen ;
Tum quis formidet te instituente mori ?

6 *Horologium ingeniosè fabrefactum in speculo.*

HOc opus eximium, quod temporis indicat horas,
Atq; tibi aspectùs monstrat in ore notas ;
Ceu placet inuentu, mouet arte ; at territat vsu ,
Miranti speciem nam tibi vita fugit.
Oh ne seiungas , opifex quod iunxit ; & oris
Ne formam inspicias , quin meditere fugam.
Ne nimium alliciat moles crystallina , lusu
Dum tibi ver referens explicat ore rosas !
Quàm citò deficiant monitu te triplice cuncta
Hìc faber instituit , te nisi prodit amor.
Hæc tria te fallūt, speculum, & cum tempore forma:
Tempus abit, vitrum frangitur , ista perit.

Ad

7 *Ad B. Ioannem de Cruce primum Carmelitam discalceatum, cui post multos labores pro Catholica Religione, Christus Dominus apparens mercedem promittit.*

PRo Cruce iussit amor tantos te ferre labores,
Grande tibi auspicium vt nominis inde foret.
En pete mercedem; datur optio, spondet Iesus;
Vult dare quanta petes, grandia quæque dabit.
Tu petis (oh votum!) pro Christo fundere vitam:
Ipse dare in terris nobiliora nequit.
Digna Deo quæris: sic poscere nouerit Orbis,
Pignoraque optanti corda Tonantis erunt.

8 *Ad Herculem, dum amore Omphales victus, deposita claua, colum tractauit, ac neuit, & ex fabula documentum.*

DIc mihi, quis te audax deponere sæua Leonis
Tegmina, quis clauæ robora dura iubet?
Quis simul instituit muliebres fortiùs artes
Tractare, Herculeâ ducere pensa manu?
Perge, age; monstrorum victor, dum cedis amori,
Pluribus vtilior forte magister eris.
Quis, nisi se superet fugiendo, vincet amorem,
Victus vbi Alcides præda, Cupido, tua est?

9 *De eodem.*

VIs scire Alcidem cur vicerit ipse Cupido?
Cæcus amor monstrum est alterius generis.

10 *Quàm periculosum sit veritatem liberiùs proferre, iuxta illud, veritas odium parit*: Terent. in Andr.

FOrtunata nimis genitrix pulcherrima, partu
Nimale producto collacrymanda foret!
Edita vix luci proles deterrima matrem
Odit,& insequitur; quin aliquando necat.
At rediuiua parens veteres oblita dolores
Vipereos partus edere nil metuit.
Qui legis ista,vices par est verearis easdem;
Vera palam si vis dicere, talis eris.

11 *Diuus Laurentius Martyr incendium pariter,& Tyrannum irridet.*

VRitur ipse suos ridens Laurentius ignes;
Nam dulce innocuis pro fide in igne mori est.
Victrices lauri flammis viguere sub ipsis,
Martyri adoranda hinc laurea facta fuit.
At flammas inter dum feruidus ore Tyrannum
Illudit, dubitem, an sentiat ille faces.
Tam bene hic intus erat succensus amore Tonantis,
Cratis vt ardentis tartara vana forent.

Ho-

12 *Horologium in semesa hominis Caluaria ingeniosè inclusum.*

QVis faber hîc tali deuinxit carcere tempus,
Vnde horas carpens hoc sua furta docet?
Hæc calua humani est capitis, mortisq. trophæum:
Quisquis ades, mirum hinc discere quanta potes!
Non alibi melius meditabere tempus, & horas;
Quidquid es, hîc cernes, tempore quidquid eris.
O ne momentum tere temporis, vnde salutem
Tam breuis hæc vitæ spondeat atra dies!
Carcere at hoc plaudet sibi tempus; namq. triumphis
Vndique se fultum sentiet esse suis.

13 *Ad Asinum, qui Homeri Iliadem comederat.*

PRoh quantum inuidiosa tuo datur esca palato,
Mæonij vt vatis carmen, Aselle, voras!
Iliadem comedis; rediuiuaq. Troia sepulcrum
Ventre asini reperit, quam prius vssit equus.
Vrbs opus infelix Diuûm deuota ruinis!
Bellua bis perimit, bis posuere Dij.
Hoc tamē excidiū magis est lacrymabile, Homerus
Nam mage Diuinam struxerat ingenio.
Hinc si tam paruis perduntur maxima, de se
Quid speret, qui se senserit esse nihil?

14 *Gratiarum actio post disputationem legalem in Collegio N. vbi cynosuram intelligimus Eminentissimum Cardinalem Collegij Patronum.*

LEx mare fluctiuagum est; rasit mihi littora lembus,
Muricis augusti cui Cynosura fuit.
Duxit inexpertum, vetuitq. timere procellas
Vester amor, placidè sydus, & aura tulit.
In portu sospes iam cymbæ impono coronam,
Oebalijs propero soluere vota meis.
Vos eritis templum, Cynosuraq. cedet in aram,
Ipse reus charitum victima totus ero.

15 *Ad Dominum Franciscum Latinum consobrinum, & socium authoris, quòd templum Beatissimæ Virgini ædificarit, Gratulatio.*

O Francisce, tuæ non vltima gloria gentis,
Optime, & hinc prudens vir, patriæque decus:
Quo cum bisdenos vitam mihi ducere in annos
Non leue solamen, deliciumque fuit.
Plaude tibi ò tandem, quod templum ponere Diuæ
Matris in obsequium tradidit ipse Deus.
Dignum opus eximiæ pietatis, amorque Tonantis,
Cura Sacerdotis, iusq. perenne domus.
Oh discant alij tales se impendere in vsus,
Pignora tu quando hinc tanta salutis habes!

16 *In Aphrum quendam pauperem, sed diurno ex quæstu prodigum.*

COngeris in mensem, noctesque, diesq. laboras,
Sæpe etiam esuriens, congeris Apher opes.
Scribis, & hinc seruus dominis famulare superbis,
Et pateris dominas: seruitij acre genus!
Pannosæ vestes speciem mutare rubescunt;
Lana togæ serum est velle e nobilior.
Cænula parua tibi parcissima prandia condit,
Dantque incænato somnia sæpe famem.
Diues eris: rides? anne vnica cæna vorabit,
Vt fuerit, mensem? mensis abit; veniam.

17 *Veræ vltionis præclarissimum, & christianum genus est parcere.*

NVlla viros fortes iniuria frangere fertur,
Qui superare malum quodq. ferendo sciant.
Qui volet vlcisci, tumidas dum feruet in iras,
Frangetur furijs sæpius ipse suis.
Se cum diuitijs male deteret arma parando,
In bello vindex duplice semper erit.
Parcenti est plusquam triplex victoria, in hoste
Seq; Erebumque domans astra, Deumq. capit.

18 *Pleraque hic in mundo ex minimis initijs in immensum crescunt, sed præsertim scelera.*

DEbile principium rerum ne despice, quando
Tale fuit quidquid grandius Orbis habet.
Flumina si cernis validas vectantia pinus,
Hæc etiam exiguis fontibus orta fluunt.
Arboris immensæ truncos miraberis, erras
Ni memor es, quondam quantula virga fuit.
Fulmineum è Cælo si formidaueris ignem,
Paruulus è terris prodijt ante vapor.
At nil criminibus crescit violentiùs; hilum
Hic subito in montem degenerasse stupes.

19 *Mors passim nos insequitur.*

SI longos lusu tentamus fallere Soles,
Nos fallunt cursu tempora, vita fugit.
Si iuuat historiæ vanis pallescere chartis,
Fata orbis legimus, fabula, & vmbra sumus.
Quando fatigatis placet indulgere sopori,
Irrepit citiùs fratre vocante soror.
Splendida cum struimus lautis conuiuia mensis,
Mors per delicias inuenit atra vias.
Dum canimus, molles cycni fera fata vocamus,
Dum gemimus, viui ducimus inferias.
Finiat ò tandem per mortem mortis imago,
Si cogit toties vnica vita mori.

Ad

20 *Ad D.N. Iurisconsultum : Auspicium fælix à gentilitijs eius tribus montibus, & manu serpentem sustinente; sub Alexandro VII. P. M.*

DVm regnant Montes, pro sydere Mōtibus addis
Iura tuis; quantum stemmatis omen habes!
Indomitum moderata manus sine legibus anguem.
Fortior his armis omnia monstra domet.
Te fer in auspicium; moderando legibus Orbi
Accedes iure, & montibus ipse tuis.
Desinet hinc error fremere, & discordia demens;
Non vnus fulcit Montibus Astra gigas.

99°

21 *Ad Reu. Patrem Simplicium Capuccinorum Procuratorem generalem Prouincias inuisentem.*

PAuperiem, tua regna beas, pater optime, vultu;
Sed mente imperium, maxima regna capis.
Assuetum contemnere opes, te fingere dignum
Numine, te capient patuula tecta domus.
Nobilitas, quæ tecta subis pauperrima, vt aula est
Ipse sibi in tenui, qui sua regna capit.
Hîc, vbi te excipimus; tanto velut ore beamur,
(Ne renue) hosp itium regia cordis erit.

22 *Ad eundem de serpente eius nobilissimæ familiæ gentilitio.*

QVid gentilis honor tibi miti stemmata serpens
Horrificat? Subeunt hinc amor, inde metus.
Num tibi prælusit puerilis palma draconum,
Qua nouus Alcides pectore monstra domas?
At nunc te instituente opobalsama parturit anguis;
Quà dux est probitas, ipsa venena iuuant.
Ergo ades huc nostris rebus non asper egenis;
Auspice te passim gestiet ipsa salus.

23 *Ad eundem post Philosophicam disputationem in Conuentu N. Gratiarum actio.*

DVm nos luce beas, lusu pensamus,& vmbris;
Excipe: conciliant paruula sæpe Deum.
Te sine torpebant mentes; nunc spiritus audax
Gestit; in exiguis grandia ludit amor.
Est Deus in nobis, vt te conspeximus; vnus
Ista fouens quidquid possumus, ipse facis.
O liceat nobis coram te sole disertis
Cernere te hic semper! Palladi quantus honor!

24 *Deploranda humanæ vitæ Metamorphosis.*

SI lacrymans nascor, si viuens lacrymor, vnde heu
Tot sequitur lymphas post mea fata cinis?

25 *Ad Dnũm Liuium Paulinum Auctoris conciuem, quem in Sororis morte consolatur.*

PArce; quid extinctam luges, Pauline, Sororem,
Quæ, plus vt faceret, debuit ante mori?
Aut intemperies autumni, aut arida febris
Sustulit hanc, propera soluere vota Deo.
Iuerit ad superos bona virgo; vtrique quietem
Mors tulit: optanda hæc siccine fata gemis?
Non ego talis ero, nec questibus astra ciebo,
Si sors contingat neptibus ista meis.

26 *Ad Horatium Flaccum, & in eius præcipuè nonam secundi libri Oden, in qua dolorem, & luctum ipse dissuadet.*

QVamuis non sēper rapidis ruit imbribus æther,
Nec fluuius ripas obruit ipse suas;
Nec maris vnda tumet, quin sæpe in se ipsa residit,
Flacce, nec exercet sæua procella rates:
Me tamen exagitat mœror ferus, arida quamuis
Lumina per lacrymas corda leuare negant.
Vt luctum effugerem, me ipsum vitasse iuuaret;
Inuenit at iunctum me mihi vbique dolor.

27 *Ad Illustriss. & Reuerendiss. Dominum* Franciscum *Cinum Maceraten. Episcopum designatum.*

TE duce per leges Astræa reuiserat Orbem,
Moribus hic tuleras aurea sæcla tuis.
Tu, quamuis caperes quæ maxima, nulla gerebas
Dona, nisi egregius quæ dabat ipse labor.
Nunc sors virtutem exaturat; tibi tempora cingit
Infula; dignè habitus nunc sibi plaudit honor.
O vtinam emeritis sic munera dentur honorum!
Infula, dum confert, accipit ipsa decus.

28 *Ad eundem de gentilitio eius sydere, quod regnante Alexandro VII. fœlix auspicium.*

GRande tibi auspicium, regnanti sydere, sydus
Fulgurat, & fausto lumine corda beat.
Iam te digna parit; sacras tibi inaurat abollas,
Vnde feras populis gratius ipse iubar.
Ibis adoratas lucis præscribere leges,
Ad Cælum hoc sydus semita lactis erit.
Gens tua fluctiuagum vitæ bene nauiget æquor,
Cui portum monstret hæc Cynosura Deum.

29 *Supremus cuiusque interitus vitæ similis est.*

MOrs vitæ est similis; respondent vltima primis
Hic tantùm, & tota est pergere vita mori.

Pal-

Palpitat emoriens humano in sanguine Cyrus,
Naufragioque sui mergitur atra sitis.
Multiplici confossus obit sub vulnere Cæsar.
Qui mors Orbis erat, vulnus, & ipsa lues.
Duxerat impuram Cleopatra per oscula vitam,
Aspidis huic spirant oscula dura necem.
Quidquid agis, tibi mortis erit gradus; omnia morti
Ergo ea fac tibi, quæ vis habuisse tuæ.

30 *Ad eruditum, & ingenuum Lectorem.*

CVm multi ediderint per carmina, candide lector, 1050
Aure tua dignos, ingenioque sales;
Cur ego proponam vacui tibi carminis offas,
Cum satur eiectas fercula digna Diis?
Aut cur propinem tibi pocula fæda lacunæ,
Si iam fastidis nectar, & ambrosiam?
Commendet cænum hoc alieni carminis aurum,
Hæc limosa vide, vt suauiùs inde bibas.

31 *Aestiuos post calores redeunte autumno.*

DEsijt ecce Leo iaculari ex ethere flammas,
Et Sol in placidâ Virgine mitis agit.
Iam contracta dies somnis superaddidit horas; 1060
Frigore nocturno iam refouetur humus.
Dicite iò; nostris ceu concita tempora votis
Aestus, & autumnus, brumaq. verque fluunt.
Heu sic vrgemus parcas! dic, Oedipe, quì hoc fit?
Cur festinamus, respuimusque mori?

32 *In verba D. Pauli; foris bella, intus timores Allegoria.*

TRanſieram ſine ſole dies, ſine lumine ſoles,
Et vita in luctu pars mihi mortis erat.
Educor tenebris optatum viſere Cælum;
Geſtit amor lucis, reddita vita placet.
Prodieram; en aër tantis obnubitur vmbris,
Mortis vt hinc grauior iam mihi ſcena foret.
Quid referam mixtis gemebunda tonitrua nimbis,
Inuiſumq. oculis, fulmina ſæua, iubar?
Heu qui ſuſtinui Cæli ſine lumine vitam,
E Cælo infelix funera miſſa feram.
Lethalis miſero lux eſt: age lucis amator,
Vt viuam, tenebras ò mihi redde meas.

33 *Ad Auarum, qui cum diuitijs ſibi curas comparat.*

QVid te adeo veſſanus opes amor angit habendi,
Qui malè diuitijs perderis ipſe tuis?
Quærere ſi infælix labor eſt, grauiorq. tueri,
Dic mihi, quæ pœna eſt perdere quidquid habes?
Ergo quid inſanis? toties miſer eſſe laboras,
Quem minor in modico cura beare poteſt?

34 *Ad Diuam Birgittam inter Sueciæ frigora diuino amore feruentissimam, cui idcirco reuelata sunt secreta cælestia.*

QVi patriæ gelidos inter Birgitta rigores
Tam tibi cælesti ferbuit igne sinus?
Protinus infanti tibi se dedit ipse videndum
In Cruce diuus Amor; cęde cruentus erat.
Paruula tu tales sensisti pectore flammas,
Omnis vt in lacrymas cor dare vita foret.
Quid mirum inde tibi si diua arcana reuelat,
Quem redamas tantis æstibus, ipse Deus?
Cordibus ô nostris tales partire sagittas!
Discet opes superum quærere noster amor.

35 *Ad Dnum Hyacinthum Rosatū optimū Medicum, & Poëtam authoris amicum in paucissimis.*

QVàm bene Apollineis, Hyacinthe, Rosate triumphas
Artibus, & geminâ laude trophæa refers!
Nam veluti Medicus mœrentia corpora morbis,
Carminibus vates corda dolore leuas.
Sic tibi prop'tiæ ducant sua stamina Parcæ,
Vt plures seruans tot medicere malis.
At si ego te vereor medicâ velut arte salubrem,
Me magis alliciens dulcè poëta capis.
Nosco valens etenim lepidi vim carminis; æger
Corrupto gustu pharmaca amara bibam.

36 *Ad Diuam Virginem Thereſiam Carmelitarum diſcalceatorum Matrem.*

QVantus amor patriã te ſede, Thereſa, reuulſam
Pęnarumq; auidam in barbara regna trahit!
At quanquam in terras ægrè reuocaris Iberas,
Textilibus pœnis quàm tua membra domas!
Carmelitarum hinc cultus, legesq. ſeueras
Reſtituendo, pati teque, tuosque iubes.
Par fuit, eligeres Carmelum, ac ſponte dolores,
Cui corde infixus Golgotha ſemper erat.

37 *Ad Dominum Antonium Vgolinum Autboris ex fratre nepotem, qui in his epigrammatum libellis optauerat inſcribi.*

ANtoni, dilecte nepos, flos immo nepotum,
Cecropium ſuperans vi,& probitate ſenem;
Cur legi in his noſtris optas, dicique libellis,
Qui, ſi vis iuuenis, nobiliora facis?
Deſine velle mori hìc mecum, quin dignior æuo
Neſtoreo, illuſtra teque, tuumque genus.
His ego carminibus nitor dum fallere curas,
Quid ſperem, annorum iam ſubeunte gelu?
Tu maiora geres; ſolabor ego ipſe ſeneſtam,
Si potior Patruo vixeris orbe nepos.

38 *Ad quendam amasium iam senem, qui omnia sua bona luxuriose viuendo consumpserat, nec tamen se continebat.*

QVamuis cæcus amor male clausit amãtibus au-
Surdior & magis est aspide quisquis amat:(res
Paucis te aggredior; nam cum profuderis olim
Omnia, iam tecum perdere verba leue est.
Desere iam senior deliramenta iuuentæ,
Pone libidinibus morte ruente modum.
Quid furis? Ergo niues inter, gelidasque pruinas
Nec dum formidat ludere nudus amor?
Oh te compescant saltem non fabula manes!
Ni friges senio, terreat ille focus.

39 *Lunæ, Solisque defectus hominum redarguit ambitionem, & impatientiam.*

DEliquio languens argentea Luna laborat,
Et nocti lucem, suffugiumque negat.
Candorem vultus nigrà ferugine tingit;
Pallescit maculis Endymionis amor.
Quin etiam auratos perdis, Sol ipse, nitores,
Non semel opposito quos tegit orbe soror:
Dum tua te Clytie mersum deplorat in vmbris,
Quanquam amor instituit te sine luce sequi.
Nec pudet ista pati vos maxima lumina Olympi,
Quin magis inde iuuat congeminare iubar.
Perdat homo quidquam, Cælũ replet omne querelis,
Sic monstrum impatiens ambitione tumet!

De

40 *De Tullia Seruij Tulli Sexti Romanorum Regis filiâ in Patrem immanissimâ.*

FOrte perire fame damnatum nutrit Athenis
 Fœta recens proprio filia lacte Patrem.
Tullia sed Romæ Patris calcare cadauer
 Nil timet, ad regnum dum impia fertur equis.
Heu! Lupa Romulidum pietate instruxerit illam,
 Hanc Romæ in Patrem non pudet esse Lupam!

41 *Malum peccandi exemplum quàm in mundo sit metuendum.*

EXemplum timeat, quisquis peccauerit, orbi
 Quod dabit, & paueat pluribus esse nocens.
Heu prior occidit primæuâ labe nepotes
 Infælix genitor, perdidit ille genus.
Hinc quicumque nouas peccandi protulit artes,
 Non se vnum valuit reddere peste reum.
Vnde mali totus lacerum se senserit orbis?
 Fecit, qui docuit criminis ire vias.
Ergo quæ tales comitetur pœna magistros,
 Vt mala, quæ terras edocuere, luant?

42 *De pretiosis vnionibus.*

AVroræ lacrymis concretas æquore gemmas,
 Quid tam miramur spumea probra maris?
An quia dum lacrymat, terris arridet olympus,
 Gaudia thesauros fletibus ille parit?

Fal-

Fallimur, his ingens pretium dedit atra libido:
  Seruire humanis luxibus est pretium.
Inde superba viro regnum Cleopatra propinat;
  Quorsum inerant paruo pondera tanta globo?
Qui sapis addisce hinc, morituras spernere gẽmas,
  Quas vitium decorat, luxuriæque lues.

43 *In studiorum instauratione* IV. *Kal. Nouembris* 1674.

QVàm festinatos Insus fugat ipsa voluptas,
  Et Genius vitæ concita fata rotat!
Mitior autumnus iam cessit; ab arbore frondes
  Ecce cadunt, profugo Sole recurrit hyems.
En redeunt vigiles curæ, sæuique labores;
  Sacra dies morti protinus ista monet.
Quàm redimenda tibi sunt tempora? Palladis artes
  Hinc ineunt; quantum hæc tè erudit vna dies!

44 *Vera nobilitas in recte operando sita est.*

STirpe tumens frustra maiorum facta renarras,
  Siue armis quondam, seu valuere togà.
Degenerem magis ostentant simulacra nepotem,
  Ni turite facis, stemmate quanta refers.
Tum te nobilitas credetur digna, tuisque
  Dum, quidquid iactas nomine, facta probent.

45 *Solatium malorum à breuitate vitæ.*

QVid vilis vrges pectus insanum dolor?
  Quid cura mordes vilior cordis fibras?

Qui-

Quicumque regna mortis hunc orbem colis,
Depone curas ocyùs, luctum doma:
Te quidquid angit, quidquid aduersum doles;
Quod morte terribilius imprudens times;
Festinat interire, festinat mori.
Moriuntur anni, mensibus breuem moram
Optabiles vix temporis nectunt vices.
Ver cerne, vt hyemem occidit, hoc æstas vorat,
Moritura simul, vt æstibus mortem parit:
Aurora noctem extinguit, auroram dies;
Solque ipse vix enatus occasum petit,
Fons ipse lucis nocte demergit iubar.
Nil ergo iure querimur: an mortis cohors,
Et præda nos mœremus? in legem trahunt
Nos fata mortis: soluimur curis sinum
Vel morte rerum, morte vel nostrà; labor
Quid territas insane? qui mortem videt
Finem malorum, despicit tutus malum.

46 *Nostra mortalium vita est somnium.*

SOmnia quàm terrent! altà de rupe videbar
Pendere, effugium lenta genista dabat.
In riuos ibat labor, & formido ruendi;
Demittens oculum in funere totus eram.
At vitam referunt insomnia, vitaque rupem;
Oh ne per mortem tartara in ima ferar!

4490

Ad

47 *Ad nobilem Virginem Dominam Vincentiam de Altinis, dum sanctimonialium militiæ nomen datura sub D. Benedicti Regula in Mariam Rosaliam nomen mutat; ad cuius stemma virens Pratum, serenum Cœlum, & sydus alluditur.*

QVàm fælix, Altina, tuo duce sydere, Virgo,
 E Prato ad Cælum nobile tendis iter!
Auspicium tibi Gentis honos, Vincentia, fecit;
 Te Cor, Te Nomen vincere cuncta docet.
Perge, subi thalamum sacra Spõsa Tonãtis Amazon,
 Nulli digna viro nubere, nube Deo.
Sponsus amans Matris nomen tibi mittit ab Astris;
 Regina huic florum tradit & ipsa decus.
Hoc Pater in Spinis Benedictus sanguine tinxit:
 Ferre domi haud poterant has tua Prata Rosas.

48 *Ad Amicum, quem ineunte Anno lustrali, vt Romam veniat, adhortatur.*

HVc age, te monet alma dies pia culmina Romæ
 Visere, dum tandem sanctior Annus init.
Aduena iamq. frequens sacra cõpita cernitur Vrbis
 Hic premere; ante diu cedere iussit Amor.
Si qua tuæ, & nostræ tangit te cura salutis,
 Perge; secundet iter, nostraque vota Deus.

49 *Ad D. Andream Apostolum lignum Crucis anxiè salutantem.*

SIccine, diue senex, tanto feruore salutas
Instrumenta tuæ ligna cruenta necis?
At tuus omnipotens hominum reparando salutem
Huic quantum decoris conciliauit Amor!
Sentis, & redamas, vitamq. profundere gaudes
In Cruce, vitalem cui dedit esse Deus.

50 *Quantum sapere Princeps debeat, vt bene imperet.*

QVinque homini sensus tribuit Natura, sed vnum
Artubus effusum tangere corpus habet.
Sunt alij in capite; os, oculi, & cum naribus aures,
Audit, gustat homo hinc, olfacit, atque videt.
Quid monet alma parens, dũ paruo ita ludit in orbe?
Quam princeps populo differat, inde vides.
Rex caput, ò quantum sapiat recturus, oportet!
I nunc, dic curas Regibus esse leues.

51 *Ad Illustriss. Dominum Philippum de Rubeis, in historiam ab ipso de Aulà Romana conscriptam politicis documentis plenissimam.*

AVgurorrhoc vates edicere mandat Apollo;
Dignum opus æternà luce Philippe tuum est.
Vis

Vis tanta historiæ, veri tam nobile robur
Fruet hoc tenebris, queis latitare iubes.
Non aliter Cælo se maxima lumina produnt,
Inuisis quamquam nubibus vmbra tegat.
Tu, velut eloquium superas, ita Nestoris annos
Vince, tui vt calami fama perennis erit.

52 *Ad eundem, de eadem historiâ, iudicium.*

QVisquis amat sapere, hæc arcana recondita rerũ
Perlegat, hìc sapiens, quæ noua discat, habet.
Heroum hic mores, genios, & corda reuelas;
Historiæ & veri hìc certa medulla patet.
Laudibus eximijs virtutem extollis, & ipsum
Carpere nil dubitas, est vbicumque nefas.
Proh quantum es dignus, quàm faustè viuere, quãdo
Res vitam emeritas non finis ipse mori!

53 *Idem argumentum ad eundem.*

EST noua conca Maris tuus iste Philippe, libellus,
Quo quæcumque refers, gemmea tota facis.

54 *Ad Dominum Scipionem de Rubeis summæ indolis adolescentem, & dignissimum tanti viri filium, cui beneuolentissimus idem Pater suas historias dicauit; gratulatio.*

FOrtunate Puer, quem gloria tanta vocauit,
Vt Pater ista tibi scripserit, atque dicet!

Nam

Namque hoc diuinum paruâ sub mole volumen
Te docet hìc quidquid mundus, & Aula sapit.
Inde tuo fælix piscaberis æquore gemmas,
Quas nec Erytræis fas reperire vadis,
Et quāti est genios Procerum, & cum moribus artes
Discere? Et hoc tantum vt noris, habere domi?

55 *De Alexandro Macedone, & Diogene Cinico: Paupertatis, & diuitiarum certamen.*

MAgnus Alexander Cinicum miratus vt hæsit,
Quamquam in doliolo degeret ille sophos!
Protinus exclamat, nisi iam sibi subditus orbis
Se coleret, tales malle subire vices.
Pauper at in tenui contentus, & inde beatus
Nil ab Alexandro, quod petat, vnus habet.
Oh Paupertatis portenta incognita terris,
Si mundi Imperio præstat habere nihil!

56 *De varijs horologijs.*

QVot reperere modos distinguere tēpus, & horas
Artifices, lymphis, puluere, Sole, rotis!
Interea vitas hominum vorat atra vetustas;
Ars nulla est æui sistere docta fugam.
Cur non metimur celeres virtutibus annos,
Plenior & nobis quælibet hora fluet?
Vir probus artificum redimat de compede tempus,
Et sibi vitales sentiet ire dies.

Quam

57 *Quàm immeritò diuitiæ virtutibus præferantur.*

SPernitur in terris Cælo digniſſima virtus;
Indigna eſt mala gens noſcere in orbe bonum.
At quæruntur opes: ea numina mundus adorat:
Nil ſapere in pretio eſt; plus habe, & eſto pecus.

58 *Felix operum principium optimos exitus habere ſolet.*

CVm primas Aurora faces iubet ire ſerenas,
Speramus parili pergere luce diem.
Sic quidquid prompti fauſtis incepimus auſis,
Finibus egregijs vota beare ſolet.
Auſpicijs ſuperum pius incipe cuncta; tibique
Quanti erit hoc pignus pro vade habere Deum!

59 *Ad Diuum Franciſcum Xauerium, de Chriſto Crucifixo, qui in mare delapſus à cancro ipſi eſt relatus.*

EXciderat Deus ipſe tibi Crucifixus in æquor,
Et iam corde tibi naufragus ibat amor.
Ecce autem cancer protentus tergo reportans
Cæli depoſitum rectius vrget iter.
Oh diſcam cancro ſacra pondera ferre magiſtro!
Et crux me rectas inſtruet ire vias.

Qui-

60 *Quidam hæreticus, qui anno Iubilei Romam venerat, vt sacros Catholicorum Ritus illuderet, visâ sanctimoniâ, & pietate Cardinalium, & Pontificis ad fidem conuertitur.*

LVstrali Romam deludere venerat anno
 Perfidus, Arctois venerat vsque plagis.
At vix conspexit veros pietatis honores,
 Queis colerent Proceres, Præsul & ipse Deum;
Hæsit, & æthereo contactus flamine corda
 Ingemit, hæreseos dira venena vomit.
Quàm bonus es superum Pater augustissime diuûm
 Sic dando infensis teque, tuamque fidem!
Fælix illusor, fortunatissime Delphin;
 Plaude tibi à Petro sic potuisse capi.

61 *Amygdala arbor gelidissimæ hyemis tempore tam floret.*

PVllulat ante diem florum hìc temeraria pubes,
 Quos interficiens atra perurit hyems.
Desperare suos fructus hinc cogitur arbor,
 Autumnum vidua in præcoce vere gemit.
Fallimur, an vitæ patet hìc mortalis imago?
 Spes malè conceptas sors inimica rapit.
Quærite mortales Cælum, spes discite vestras,
 Ver vbi inocciduum, nescia vita mori.

62 *Ad puerum quendam com.e, & forma nimis studiosum.*

QVid tibi fœmineum in morem crinesq. ,genasq.
Comis vt alter Hylas, præ Ganimede linis?
Despicis interea diuinæ Palladis artes,
Et tempus nugis, ingeniumque teris.
Ora tibi (viden?) vmbra subit, sic forma peribit,
Ornatus expers mens puerilis erit.
Heu male telluri spem credidit ipse Colonus,
Si vere in frondes luxuriauit ager.

63 *Ad Dominum Hyacinthum Rosatum optimum Medicum, & Poëtam, de quibusdam sacris sententijs ab ipso in metrum scitè redactis.*

IN sacram vertens sapientum dicta poësim
Proh quantùm mentes allicis, atque doces!
Sic animus sese insinuat sapientia, & aures
Lenitæ ad cantum balsama grata bibunt.
Sensus amat falli; diuinaq. verba rependens
Cor quibus instruitur, sentit inesse Deum.
Perge animis tantæ medicamina ferre salutis;
Te medicum, & vatem quàm decet iste labor!
Arte vir egregius redimis si corpora morbis,
Plus hic præsentis Numinis instar habes.

64 *De Bacchanalijs Romæ hoc Iubilei anno 1675. interdictis.*

LVstrali hoc Anno siluerunt orgia Bacchi,
R omaq. lasciuis abstinet alma ioci.
Non horret satyros errare licentiùs hospes,
Nec vomit insanos ebria turba iocos.
Personas vtinam fraudum sic exuat Aula,
Vrbsq.erit vt fidei, sic pietatis, apex.

65 *Ad principem quendam supremum, & potentissimum, sed assiduis curis agitatum.*

HEu quorsum polles gemmis, circumfluis auro,
Nutibus & pendent grandia regna tuis?
Quid populis dare iura tumes, vitæque, necisque
Tot capitum Dominus, quot tuus orbis habet?
Anxia si in tantis languent tibi corda triumphis,
Supplicio exercet si tibi cura suum?
Oh disce; humanis tantum est in rebus inane,
Si minus est votis vltima meta Deus.

66 *In augustissima Beatissimæ Virginis Annunciatione.*

DIcite iò: tandem demittitur ales Olympo
Ad Mariam, vt velit hæc Numinis esse parens.
Illa quidem niue candidior iurata pudoris
Victima perpendit verba, modumque rogat.
Nuncius attonitus tantà virtute, Tonantis
Velle aperit, summum posse, viamq. docet.

Annuit hac tandem; se ancillam Numinis offert,
Mater vbi eligitur, gignere digna Deum.
Non aliter poterat diuelli ex æthere Verbum,
Vnicus & capere hoc par fuit ille sinus.

1340

67 *Aeternitatis frequens meditatio.*

SÆpius æternos quisquis meditabitur annos,
(Metiri æternum vt tempora nulla queant.)
Amens hærebit perculsà mente, nec hortor
Errorum veteres hunc sinet ire vias.
Quoque magis tantum se fixus vertet in orbem,
Vnum hæc qui capiat sentiet esse Deum.
Oh ne mens talis mortalibus excidat vnquam!
Christiadumq. orbis protinus alter erit.

68 *Veris ineuntis effectus varij.*

ASpera ponit hyems, zephyrisq. fouentibus orbem *1350*
Ecce viror campis, arboribusq. redit.
Spes anni discit firmare colonus in herbis,
Cui sata multiplici fœnore spondet ager.
Gaudia sed luctus miscet; nam vere peremptus
Qui flos Nazareus frigore natus erat.
Tantæ molis erat nostras reparare ruinas,
Nec beat hanc aliter cælica messis humum.

36 *Ad Diuam Virginem Theresiam Carmelitarum discalceatorum Matrem.*

QVantus amor patriâ te sede, Theresa, reuulsam
Pœnarumq. auidam in barbara regna trahit!
At quanquam in terras ægrè reuocaris Iberas,
Textilibus pœnis quàm tua membra domas!
Carmelitarum hinc cultus, legesq. seueras
Rest tuendo, pati teque, tuosque iubes.
Par fuit, eligeres Carmelum, ac sponte dolores,
Cui corde infixus Golgotha semper erat.

37 *Ad Dominum Antonium Vgolinum Authoris ex fratre nepotem, qui in his epigrammatum libellis optauerat inscribi.*

ANtoni, dilecte nepos, flos immo nepotum,
Cecropium superans vi,& probitate senem;
Cur legi in his nostris optas, dicique libellis,
Qui, si vis iuuenis, nobiliora facis?
Desine velle mori hic mecum, quin dignior æuo
Nestoreo, illustra teque, tuumque genus.
His ego carminibus nitor dum fallere curas,
Quid sperem, annorum iam subeunte gelu?
Tu maiora geres; solabor ego ipse senectam,
Si potior Patruo vixeris orbe nepos.

38 *Ad quendam amasium iam senem, qui omnia sua bona luxuriose viuendo consumpserat, nec tamen se continebat.*

QVamuis cæcus amor male clausit amãtibus au-
Surdior & magis est aspide quisquis amat: (res
Paucis te aggredior; nam cum profuderis olim
Omnia, iam tecum perdere verba leue est.
Desere iam senior deliramenta iuuentæ,
Pone libidinibus morte ruente modum.
Quid furis? Ergo niues inter, gelidasque pruinas
Nec dum formidat ludere nudus amor?
Oh te compescant saltem non fabula manes!
Ni friges senio, terreat ille focus.

39 *Lunæ, Solisque defectus hominum redarguit ambitionem, & impatientiam.*

DEliquio languens argentea Luna laborat,
Et nocti lucem, suffugiumque negat.
Candorem vultus nigra ferugine tingit;
Pallescit maculis Endymionis amor.
Quin etiam auratos perdis, Sol ipse, nitores,
Non semel opposito quos tegit orbe soror:
Dum tua te Clytie mersum deplorat in vmbris,
Quanquam amor instituit te sine luce sequi.
Nec pudet ista pati vos maxima lumina Olympi,
Quin magis inde iuuat congeminare iubar.
Perdat homo quidquam, Cælũ replet omne querelis;
Sic monstrum impatiens ambitione tumet!

De

40 *De Tullia Seruij Tulli Sexti Romanorum Regis filiâ in Patrem immanissimâ.*

Forte perire fame damnatum nutrit Athenis
Fœta recens propriô filia lacte Patrem.
Tullia sed Romæ Patris calcare cadauer
Nil timet, ad regnum dum impia fertur equis.
Heu! Lupa Romulidum pietate instruxerit illam,
Hanc Roma in Patrem non pudet esse Lupam!

41 *Malum peccandi exemplum quàm in mundo sit metuendum.*

Exemplum timeat, quisquis peccauerit, orbi
Quod dabit, & paueat pluribus esse nocens.
Heu prior occidit primæuâ labe nepotes
Infælix genitor, perdidit ille genus.
Hinc quicumque nouas peccandi protulit artes,
Non se vnum valuit reddere peste reum.
Vnde mali totus lacerum se senserit orbis?
Fecit, qui docuit criminis ire vias.
Ergo quæ tales comitetur pœna magistros,
Vt mala, quæ terras edocuere, luant?

42 *De pretiosis vnionibus.*

Auroræ lacrymis concretas æquore gemmas,
Quid tam miramur spumea probra maris?
An quia dum lacrymat, terris arridet olympus,
Gaudia thesauros fletibus ille parit?

Fal-

Fallimur, his ingens pretium dedit atra libido:
Seruire humanis luxibus est pretium.
Inde superba viro regnum Cleopatra propinat;
Quorsum inerant paruo pondera tanta globo?
Qui sapis addisce hinc, morituras spernere gēmas,
Quas vitium decorat, luxuriæque lues.

43 *In studiorum instauratione* IV. *Kal. Nouembris* 1674.

QVàm festinatos lusus fugat ipsa voluptas,
Et Genius vitæ concita fata rotat!
Mitior autumnus iam cessit; ab arbore frondes
Ecce cadunt, profugo Sole recurrit hyems.
En redeunt vigiles curæ, sæuique labores;
Sacra dies morti protinus ista monet.
Quàm redimenda tibi sunt tempora? Palladis artes
Hinc ineunt; quantum hæc tè erudit vna dies!

44 *Vera nobilitas in rectè operando sita est.*

STirpe tumens frustra maiorum facta reportas,
Siue armis quondam, seu valuere togà.
Degenerem magis ostentant simulacra nepotem,
Ni tu rite facis, stemmate quanta refers.
Tum te nobilitas credetur digna, tuisque
Dum, quidquid iactas nomine, facta probent.

45 *Solatium malorum à breuitate vitæ.*

QVid vilis vrges pectus insanum dolor?
Quid cura mordes vilior cordis fibras?
Qui-

Quicumque regna mortis hunc orbem colis,
Depone curas ocyùs, luctum doma:
Te quidquid angit, quidquid aduersum doles;
Quod morte terribilius imprudens times,
Festinat interire, festinat mori.
Moriuntur anni, mensibus breuem moram
Optabiles vix temporis nectunt vices.
Ver cerne, vt hyemem occidit, hoc æstas vorat,
Moritura simul, vt æstibus mortem parit:
Aurora noctem extinguit, auroram dies;
Solque ipse vix enatus occasum petit,
Fons ipse lucis nocte demergit iubar.
Nil ergo iure querimur: an mortis cohors,
Et præda nos mœremus? in legem trahunt
Nos fata mortis: soluimur curis sinum
Vel morte rerum, morte vel nostrà; labor
Quid territas insane? qui mortem videt
Finem malorum, despicit tutus malum.

46 *Nostra mortalium vita est somnium.*

Somnia quàm terrent! altà de rupe videbar
Pendere, effugium lenta genista dabat.
In riuos ibat labor, & formido ruendi;
Demittens oculum in funere totus eram.
At vitam referunt insomnia, vitaque rupem;
Oh ne per mortem tartara in ima ferar!

4490

Ad

47 *Ad nobilem Virginem Dominam Vincentiam de Altinis, dum sanctimonialium militiæ nomen datura sub D. Benedicti Regula in Mariam Rosaliam nomen mutat; ad cuius stemma virens Pratum, serenum Cœlum, & sydus alluditur.*

QVàm fælix, Altina, tuo duce sydere, Virgo,
E Prato ad Cælum nobile tendis iter!
Auspicium tibi Gentis honos, Vincentia, fecit;
Te Cor, Te Nomen vincere cuncta docet.
Perge, subi thalamum sacra Spōsa Tonātis Amazon,
Nulli digna viro nubere, nube Deo.
Sponsus amans Matris nomen tibi mittit ab Astris;
Regina huic florum tradit & ipsa decus.
Hoc Pater in Spinis Benedictus sanguine tinxit;
Ferre domi haud poterant has tua Prata Rosas.

48 *Ad Amicum, quem ineunte Anno lustrali, vt Romam veniat, adhortatur.*

HVc age, te monet alma dies pia culmina Romæ
Visere, dum tandem sanctior Annus init.
Aduena iamq. frequens sacra cōpita cernitur Vrbis
Hic premere; ante diu cedere iussit Amor.
Si qua tuæ, & nostræ tangit te cura salutis,
Perge; secundet iter, nostraque vota Deus.

49 *Ad D. Andream Apostolum lignum Crucis anxiè salutantem.*

SIceine, diue senex, tanto feruore salutas
Instrumenta tuæ ligna cruenta necis?
At tuus omnipotens hominum reparando salutem
Huic quantum decoris conciliauit Amor!
Sentis, & redamas, vitamq. profundere gaudes
In Cruce, vitalem cui dedit esse Deus.

50 *Quantum sapere Princeps debeat, vt bene imperet.*

QVinque homini sensus tribuit Natura, sed vnum
Artubus effusum tangere corpus habet.
Sunt alij in capite; os, oculi, & cum naribus aures,
Audit, gustat homo hinc, olfacit, atque videt.
Quid monet alma parens, dũ paruo ita ludit in orbe?
Quàm princeps populo differat, inde vides.
Rex caput, ò quantum sapiat recturus, oportet!
I nunc, dic curas Regibus esse leues.

51 *Ad Illustriss. Dominum Philippum de Rubeis, in historiam ab ipso de Aulà Romana conscriptam politicis documentis plenissimam.*

AVguror: hoc vates edicere mandat Apollo;
Dignum opus æternà luce Philippe tuum est.

Vis tanta historiæ, veri tam nobile robur
Eruet hoc tenebris, queis latitare iubes.
Non aliter Cælo se maxima lumina produnt,
Inuisis quamquam nubibus vmbra tegat.
Tu, velut eloquium superas, ita Nestoris annos
Vince, tui vt calami fama perennis erit.

52 *Ad eundem, de eadem historiá, iudicium.*

QVisquis amat sapere, hæc arcana recondita rerũ
Perlegat, hìc sapiens, quæ noua discat, habet.
Heroum hic mores, genios, & corda reuelas;
Historiæ & veri hìc certa medulla patet.
Laudibus eximijs virtutem extollis, & ipsum
Carpere nil dubitas, est vbicumque nefas.
Proh quantum es dignus, quàm faustè viuere, quãdo
Res vitam emeritas non finis ipse mori!

53 *Idem argumentum ad eundem.*

Est noua conca Maris tuus iste Philippe, libellus,
Quo quæcumque refers, gemmea tota facis.

54 *Ad Dominum Scipionem de Rubeis summæ indolis adolescentem, & dignissimum tanti viri filium, cui beneuolentissimus idem Pater suas historias dicauit; gratulatio.*

FOrtunate Puer, quem gloria tanta vocauit,
Vt Pater ista tibi scripserit, atque dicet!
Nam-

Namque hoc diuinum paruà sub mole volumen
  Te docet hìc quidquid mundus, & Aula sapit.
Inde tuo fælix piscaberis æquore gemmas,
  Quas nec Erytræis fas reperire vadis,
Et quāti est genios Procerum, & cum moribus artes
  Discere? Et hoc tantum vt noris, habere domi?

55 *De Alexandro Macedone, & Diogene Cinico: Paupertatis, & diuitiarum certamen.*

MAgnus Alexander Cinicum miratus vt hæsit,
  Quamquam in doliolo degeret ille sophos!
Protinus exclamat, nisi iam sibi subditus orbis
  Se coleret, tales malle subire vices.
Pauper at in tenui contentus, & inde beatus
  Nil ab Alexandro, quod petat, vnus habet.
Oh Paupertatis portenta incognita terris,
  Si mundi Imperio præstat habere nihil!

56 *De varijs horologijs.*

QVot reperere modos distinguere tēpus, & horas
  Artifices, lymphis, puluere, Sole, rotis!
Interea vitas hominum vorat atra vetustas;
  Ars nulla est æui sistere docta fugam.
Cur non metimur celeres virtutibus annos,
  Plenior & nobis qualibet hora fluet?
Vir probus artificum redimat de compede tempus,
  Et sibi vitales sentiet ire dies.

Quam

57 *Quàm immeritò diuitiæ virtutibus præferantur.*

SPernitur in terris Cælo dignissima virtus;
Indigna est mala gens noscere in orbe bonum.
At quæruntur opes: ea numina mundus adorat:
Nil sapere in pretio est; plus habe, & esto pecus.

58 *Felix operum principium optimos exitus habere solet.*

CVm primas Aurora faces iubet ire serenas, 1270
Speramus parili pergere luce diem.
Sic quidquid prompti faustis incepimus ausis,
Finibus egregijs vota beare solet.
Auspicijs superum pius incipe cuncta; tibique
Quanti erit hoc pignus pro vade habere Deum!

59 *Ad Diuum Franciscum Xauerium, de Christo Crucifixo, qui in mare delapsus à cancro ipsi est relatus.*

EXciderat Deus ipse tibi Crucifixus in æquor,
Et iam corde tibi naufragus ibat amor.
Ecce autem cancer protentus terga reportans
Cæli depositum rectius vrget iter.
Oh discam cancro sacra pondera ferre magistro! 1280
Et crux me rectas instruet ire vias.

Qui-

60 *Quidam hæreticus, qui anno Iubilei Romam venerat, vt sacros Catholicorum Ritus illuderet, visâ sanctimoniâ, & pietate Cardinalium, & Pontificis ad fidem conuertitur.*

LVstrali Romam deludere venerat anno
  Perfidus, Arctois venerat vsque plagis.
At vix conspexit veros pietatis honores,
  Queis colerent Proceres, Præsul & ipse Deum;
Hæsit, & æthereo contactus flamine corda
  Ingemit, hæreseos dira venena vomit.
Quàm bonuses superum Pater augustissime diuûm
  Sic dando infensis teque, tuamque fidem!
Fælix illusor, fortunatissime Delphin;
  Plaude tibi à Petro sic potuisse capi.

61 *Amygdala arbor gelidissimæ hyemis tempore tam floret.*

PVllulat ante diem florum hìc temeraria pubes,
  Quos interficiens atra perurit hyems.
Desperare suos fructus hinc cogitur arbor,
  Autumnum vidua in præcoce vere gemit.
Fallimur, an vitæ patet hìc mortalis imago?
  Spes malè conceptas sors inimica rapit.
Quærite mortales Cælum, spes discite vestras,
  Ver vbi inocciduum, nescia vita mori.

62 *Ad puerum quendam comæ, & formæ nimis studiosum.*

QVid tibi fœmineum in morem crinesq. ,genasq.
Comis vt alter Hylas, præ Ganimede linis?
Despicis interea diuinæ Palladis artes,
Et tempus nugis, ingeniumque teris.
Ora tibi (viden?) vmbra subit, sic forma peribit,
Ornatùs expers mens puerilis erit.
Heu male telluri spem credidit ipse Colonus,
Si vere in frondes luxuriauit ager.

63 *Ad Dominum Hyacinthum Rosatum optimum Medicum, & Poëtam, de quibusdam sacris sententijs ab ipso in metrum scitè redactis.*

IN sacram vertens sapientum dicta poësim
Proh quantùm mentes allicis, atque doces!
Sic animis sese insinuat sapientia, & aures
Lenitæ ad cantum balsama grata bibunt.
Sensus amat falli; diuinaq. verba rependens
Cor quibus instruitur, sentit inesse Deum.
Perge animis tantæ medicamina ferre salutis;
Te medicum, & vatem quàm decet iste labor!
Arte vir egregius redimis si corpora morbis,
Plus hic præsentis Numinis instar habes.

64 *De Bacchanalijs Romæ hoc Iubilei anno 1675. interdictis.*

LVstrali hoc Anno siluerunt orgia Bacchi,
R omaq. lasciuis abstinet alma iocis.
Non horret satyros errare licentiùs hospes,
Nec vomit insanos ebria turba iocos.
Personas vtinam fraudum sic exuat Aula,
Vrbsq. erit vt fidei; sic pietatis, apex.

65 *Ad principem quendam supremum, & potentissimum, sed assiduis curis agitatum.*

HEu quorsum polles gemmis, circumfluis auro,
Nutibus & pendent grandia regna tuis?
Quid populis dare iura tumes, vitæque, necisque
Tot capitum Dominus, quot tuus orbis habet?
Anxia si in tantis languent tibi corda triumphis,
Supplicio exercet si tibi cura sinum?
Oh disce; humanis tantum est in rebus inane,
Si minus est votis vltima meta Deus.

66 *In augustissima Beatissimæ Virginis Annunciatione.*

DIcite iô: tandem demittitur ales Olympo
Ad Mariam, vt velit hæc Numinis esse parens.
Illa quidem niue candidior iurata pudoris
Victima perpendit verba, modumque rogat.
Nuncius attonitus tantà virtute, Tonantis
Velle aperit, summum posse, viamq. docet.

Anà

Annuit hac tandem;se ancillam Numinis offert,
Mater vbi eligitur,gignere digna Deum;.
Non aliter poterat diuelli ex æthere Verbum,
Vnicus & capere hoc par fuit ille sinus. ⅄340

67 *Aeternitatis frequens meditatio.*

SÆpius æternos quisquis meditabitur annos,
(Metiri æternum vt tempora nulla queant.)
Amens hærebit perculsà mente, nec horror
Errorum veteres hunc sinet ire vias.
Quoue magis tantum se fixus vertet in orbem,
Vnum hæc qui capiat sentiet esse Deum.
Oh ne mens talis mortalibus excidat vnquam!
Christiadumq. orbis protinus alter erit.

68 *Veris ineuntis effectus varÿ.*

ASpera ponit hyems.zephyrisq.fouentibus orbem ⅄350
Ecce viror campis.arboribusq. redit.
Spes anni discit firmare colonus in herbis.
Cui fata multiplici fœnore spondet ager.
Gaudia sed luctus miscet; nam vere peremptus
Qui flos Nazareus frigore natus erat.
Tantæ molis erat nostras reparare ruinas,
Nec beat hanc aliter cælica messis humum.

69. *Ad Dnũm Bartholomeũ Cotoloniũ philosophum, & medicum, dum de vtraque facultate scitissimum volumen conscribit. Alluditur ad eius stemma trium montium, duorum syderum, & vnius Cometæ.*

QVàm bene scribendo naturæ arcana reuelas,
Qui Montes tres in stemmate,& astra refers!
L366 Namque ita naturam rerum meditare tuarum,
Dum Cælum,& tellus est tibi gentis honos.
At melius medicas animum conuertis ad artes;
Vim medicus patrijs fundet Apollo iugis.
Syderibus medius dabit ipse Cometa salutem,
Nam febrim,& morbos fulminet inde iubar.
Quanti erit egregius labor,vnde beabitur orbis,
Cui per te auxilio cælicus horror erit?

70 *Ad Dnũm admodũ Reu. Maurũ Verdonum Cesenatem Oratorem eximium de funebri Oratione ab ipso habita in obitu clarissimi viri Domini Hyacinthi Claramontij.*

ELoquio dum, Maure, potens herois ad vrnam
Flere iubes,lacrymis innatat ipse dolor.
L370 Dumque probans certam eiusdem per facta salutem
Flere pios prohibes; gaudia pectus habent.

Sic

Sic per te exoritur lacrymis operosa voluptas:
Tam potes arbitrio flectere corda virùm:
Ergo neant Parcæ niueos tibi Nestoris annos,
Funera qui orator deliciosa facis.

71 *De Apibus quæ in Crucifixi semeso latere mellificauerant.*

FOrte Crucem, & pondus sic ederat atra vetustas,
Concaua vt è lateris vulnere membra forent.
Huc examen Apum sese counexit; Amoris
Diuini in premio mellificauit apis.
Nobile prodigium! Mortales currite, & inde
Sugite, crux etenim nectare tota fluit.
Quis neget esse apibus diuinæ semina mentis?
Cælicolis foret hæc inuidiosa domus.
Stulta hominum soboles, quo pectora vertis, & ora?
Hinc etiam absque apibus mella propinat Amor.

72 *In quendam libidinosum summo licet senio confectum.*

QVid non deteritur præterlabentibus annis,
Dum senio languent omnia iussa mori?
Tu tamen (oh monstrum!) crescente libidine ferues,
Canitiem extremam nec timet iste locus.
Desere iam tandem deliramenta iuuentæ;
In ius ipsa vocans te Libitina monet.
Heu! veluti elanguens auget sua lumina lampas,
In te tanta lues vel moriente viget.

73 *Christus Dominus Cruci affixus ex odoribus compositus.*

IN Cruce diuus amor conflatus odoribus auras
  Afflat; per nares vt fibi corda trahat.
Cæli delicium fuperis odor optimus hic nos
  Allicit infuetis fe redamare modis.
Heu genus infelix hominum quam dira mephitis
  In ftyge te manet, hic te nifi tangit odor!

74 *Philomelæ cantus.*

SEu veteres iteret cantu philomela dolores,
  Seu fibi rapta recens pignora, dulcè gemit.
Flet noctem, & quæftu furdas interrogat vmbras,
  Flebile refponfat fylua, piumque nemus.
Difcite mortales tantos effundere fletus,
  Queis vera, & maior caufa doloris adeft.
Seu flete exilium hoc, patriamque requirite Cælũ,
  Seu fcelus; oh quanti eft flendo mouere Deum!

75 *Refponfio ad cultiffimum Epigrdmma N. N. in morte adolefcentis eximij. Profopopeia, qua mortuus loquitur.*

DVm morior, primo quamuis extinguor in æuo,
  Mors placet, vt cantu funera acerba beas.
Gratior ipfa tuo eft iñ Apolline vita fuperftes;
  Tanti eft carminibus viuere poffe tuis.

At

At tu viue meos, qui viuere dignior annos,
Viue tuos, tali vt carmine digna canas.
Viue; trahant niueo tibi pollice fila sorores.
Nec formidabunt, quos canis ipse, mori.

76 *De varijs fortunæ, & Naturæ rerum vicibus, quæ humanam vitam calamitate producunt.*

QVàm mutat fortuna vices! qui mane regebat
Imperio populos, vespere vincla subit.
Qui Crœsi iactabat opes, fit egentior Iro;
Monstraq. lux eadem, quæ tulit vna, videt.
Tempora commutans docet hoc natura, diesque,
Qui sole arrisit, turbine, & imbre furit,
Cerne vices pelagi: quæ naufraga perditur, iisdem
Infælix nuper Cymbula lusit aquis.
Quis doleat fugitiua nimis sua tempora vitæ,
Si tam protrahitur casibus vna dies?

77 *Amantis sacri arescente spiritu status, & votum.*

COr mihi fluctiuagæ simile est per cerula cymbæ,
Cui sedet in media puppe magister amor.
Sunt lacrymæ fluctus, sunt & suspiria venti,
Sum ratis ipse mihi, fluctus, & aura simul.
Nec deerunt misero per naufraga regna procellæ,
Quin me cor, oculos destituatque dies.
Ergo Numen ades, fælicia sydera monstres,
Quiq. mihi nusquam est, tu mihi portus eris.

78 *In corruptos sæculi mores.*

QVid torpet virtus, congesta pecunia regnat?
Gestiat vt crimen, pœna parata probo est?
Hinc nihil vsque pium: sua gratia iudicis vrnam
Vincit, & argento iura sonante cadunt.
Rara pudicitiam seruat domus, omnibus aurum
Congerit omne nefas: quot pudet esse bonos?
Anne sequi vitiū præstet? quàm fallimur! est nunc
Tota sibi virtus præmia, & ipse Deus.

79 *Veræ pœnitentiæ fiducia:*

QVisque dolor leuis est, fiuntq. flagella voluptas;
Vis causam? Diuus se mihi spondet Amor.

80 *Aegrotatio quadam, & sitis feruentissima describitur.*

AEger eram, febriq. furens, sitis arida fauces
Vsserat, impatiens æstibus æger eram.
Protinus ad fontem furiatà mente cucurri,
Fons erat argentum, gemmeus humor erat.
Hic vetitos latices tetigi, frontemq. rigaui,
Nec tamen ore bibi, flammaq. totus eram.
Quin etiam, vt miserum iuuat indulgere furori,
Immoror, & gelidis Tantalus vror aquis.
Et tamen abstinui; quis crederet? ò vbi tales,
Vt potus moriar, quis mihi reddat aquas?

Om-

81 *Omnia mors æquat.*

QVi regna mente vincit, & qui orbem regit,
Non purpurà defenditur.
Mors principum percellit immitis caput,
Mors decolorat purpuras.
Non parcit ista dotibus, formam rapit,
Quodcumque funestat decus.
Fit vrna regnum Regibus, funus parant
Sic pauperi viles casæ.
Quin sæpe fato principes pueri cadunt,
Vel enecantur fraudibus.
Hinc genere auitos regna rectores gemunt,
Quos mors acerba sustulit.
Et sæpe torquet sæuius Regum domos
Sors, quàm tabernas pauperum.
Nunquam theatra rusticos casus gemunt,
Et rus cothurnos dedecet.
Regalis aula sortis expectat vices:
Sic fulmen alta verberat.
Heu quid superbis fastibus mentem tumes,
Insana gens mortalium?
Quicumque viuis, busta, non orbem colis;
Require Reges inclytos.
Dic Roma quantum edideris heroum decus?
Ceu mole cælum tangeres.
Nunc vix ruinis ossa gnatorum tegis,
Nunc herba fastum contegit.
Vix non peremit nominum tempus notas;
Mersere lauros fulmina.

82 *Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per impios in cœnum demersum ab apibus cereà ædiculà tanquam tabernaculo excipitur.*

FVderat impietas, erebo suadente, latentem
 Fruge Deum in sordes: exitiale nefas!
Sensit Apum hoc sed fida cohors; examine facto
 Conuolat, excipiens melleà in æde dapem.
Dedaleà namque arte lares construxit, Amorquè
 Instruit, vt foret hoc Hospite digna domus.
Quin potes impietas apibus didicisse magistris.
 Quale sibi obsequium hìc vindicet ipse Deus!
At vos, Christiadæ, meliorem aduertite mentem,
1490 Quàm non conueniat sordibus illa Ceres.

83 *Certamen affectuum rursus deseuientium.*

ANne suos repetunt præpostera flumina fontes?
 Anne cinis gelidus suscitat igne faces?
Suscitat; inde globus flammarũ obnubit olympum,
 Nullus vbi est fomes, nulla alimenta foci.
Audaces repetunt sic conscia pectora curæ,
 Affectus veteres sic mihi bella mouent.
Quid cupiat, nescit, miserùm tamen æstuat intus
 Insanè repetens pristina damna sinus.
Desipimus, Deus, ecce, malis; precor, abnue votis,
1500 Ni se dediscens cor meliora petat.

84 *Irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in Deo. Pax vobis.*

ALma dies, iucunda dies, lux nuncia pacis
Illuxit; misero sed mihi bella tulit.
Sordebant mihi veris opes, zephyrique tepentes
Fingebant hyemem, florea pompa niues.
Optaui pennas auidus requiescere, in vmbras
Euolitans abij; mens mihi penna fuit.
Quidquid habet passim tellus, & pontus, & aër,
Mente vagor, passim me fugit ipsa quies.
Scilicet hoc bellum infelix moueoque, feroque;
Fige tuis clauis ò mihi corda Deus!

85 *Ad Iuuenes studiosos tempore veris, adhortatio.*

PLaudite iò, Iuuenes, dum formosissimus annus
Vere orbem renouat, vere maritat humum.
Sydera terrarum flores gemmascere campis
Cernitis, hinc gestit risibus vsque nemus.
Fulgurat ante alios augusta Semiramis horti,
Murice fulta sibi debita regna petit.
Hinc florum reges, & regum lilia flores
Se thalamo ostentant iungere digna rosis.
Delicium at properat; sic forma peribit, & ætas,
Sic citius vobis excidet omne decus.
At, quando virtus hominum post fata perennat,
Hinc se immortalem reddere quisque potest.

86 *Deus vbique est, & vbique recte viui potest.*

CVm sit vbique Deus, quid lamentamur, & orbem
Dicimus exilium, cunctaq. plena malis?
Omnia plena bonis, sunt Numinis omnia plena,
Ni faciat nostrum tartara in orbe scelus.
Tollamus vitium, sic fas mutare malorum
Posse vices; magnes fulminis omne nefas.
Mutemus corda, & nobis mutabitur orbis;
Bella mouere Deo est tam sua fata queri.

87 *De inanibus mortalium votis, & bonorum omnium abusu.*

O Vota nostris indita mentibus
Superba! vitæ quid malè fidimus,
Et morte constantes, fouemus
Spem parilem superis in orbe?
Nunc excitamus magnificas domos,
Et deuorantes pectore regias,
Hic magna tentamus potentes,
Immemoresque mori petimus.
Quin sæpe stulti viuere nescium
Genus, timemus bella periculis
Referta; sed mensæ accubantes
Delicijs, epulis necamur.
Quin diues amens incubat aureis
Hic sæpe furtis; verùm opibus timens,
Parcensque, congesto est in auro
Pauper egens mage Cræsus Irò.
Indigna sordent vota potentium;
Per bella terras vincere diditas.

Regnare se æquales Tonanti
Fingere muneribus micantes:
Sub sole talem credere neminem
Dignantur ausu, quem sibi comparent,
Quem non superbà mente ludant,
Funere mox pariles futuri.

88 *Christus Dominus infans è cera conflatus ad solis radios fortuitò expositus eliquatur.*

QVi mihi nuper erat vultu tam pulcher Iesus,
Vt posset credi viuere, & esse puer;
Immemor exposui radijs solaribus illum;
Ceteus effluxit præ niue noster amor.
Fallor an & genium referebat imago Tonantis,
Cui pro me assiduè vota fuere mei?
Ille sed in plagis multiplice morte cruentus
Heu obijt; tantum hic Sole cremante perit.
Disce cor infelix vtrinque liquescere in æstum:
Solui adamas sueuit sanguine, & igne lapis.

89 *Diua Maria Magdalena ad Christi Domini sepulcrum plorans.*

MAgdalis extincti plangebat Amoris ad vrnam.
Ceu gelidus flammas inderet ille lapis.
Cum victus fletu se præbuit ipse videndum
Nazareus flenti iam rediuiuus Amor.
Discite mortales facilem reperire Tonantem:
Non semel hoc flendi tanta magistra tulit.
Tam gratus superis, quàm formidatus Auerno
Iste humor iactat vincere in orbe Deum.

Ad

90 *Ad Patrem admodum Reu. Nicolaum Mariam Pallauicinum Soc. Ieſu, de D. Gregorij Thaumaturgi vita ab eo ingenioſiſſimè ſcriptâ.*

QVi viuens terris per tot miracula fulſit,
Eſſet ei vt totum viuere prodigium:
Par, tali calamo commendaretur, vt omnis
Verborum ſeries prodigioſa foret.
Et quando æquandum eſt verbis quodcumq. refertur,
Quod decus hiſtoriæ grandius eſſe queat?
Tu, cui tot charites polleat ſermone, ſaleſque,
Vnus opus tantum ſcribere dignus eras.

91 *Horæ voluptatis breuiſſimæ ſunt, doloris vero vel momenta longiſſima.*

QVàm cito prætereunt felicia tempora vitæ!
Hora voluptatum fulguris inſtar abit.
At dolor immitis rapidum ſic protrahit æuum,
Vnam horam vt mærens ſæcula tota putet.
Vult citus ergo mori qui viuere lætius optat;
Lentiùs infelix cogitur vſque mori.

92 *Ad Puerulum Dominum Ieſum inter lilia, & roſas molliſſimè depictum.*

IVre inter flores hìc lilia pura, roſaſque
Pictus es ætherei flos, puer alme, ſoli.

An

An quia perpetuum terris ver ferre salutis
 Veneris, & pingi deliciosus ames?
Ast heu per vepres, per mortis mille dolores
 Ver struere hoc mauis; hinc meditare Crucem.
Vis dare delicias, solas tibi sumere pœnas,
 Inde orbi per te florida cuncta vigent.
Discat homo imprudens se quantũ adamaueris; in te
 Viuere dulce putet, deliciumque mori.

93 *Luscinia dum dulcissime in arbore canit, interficitur.*

DVm queritur raptos Philomela ex arbore nidos,
 Et blandùm syluas flere, nemusq; docet:
En ferus igniuomæ venator arundinis ictu
 Hanc nemoris musam, deliciumque necat.
Orpheus vt vates, auis hæc flexisset Auernum;
 Siccine percussor barbare surdus eras?
Heu! ita crudeli mors deijcit omnia telo,
 Cæca venustati est, surdaque carminibus.

94 *Ad Diuam Rosam de Sanctâ Mariâ Virginem Peruanam pœnitentiæ amantissimam.*

DIc, Rosa, cur tantis lanias tibi corpora flagris?
 Sponsus pœnarum sustulit omne genus.
Cur tibi pro molli sternis fera saxa cubili?
 Heu cubuit languens in Cruce noster Amor.
Cur tibi ferrato circundas tempora circo?
 Olli fregerunt Spinea serta caput.
Ergo iure tre pueus paruus tibi ludit in vlnis,
 Cuius tu genium sponte cruenta refers.

Ad

95 *Ad hominem quendam cæcum ; gratulatio .*

LVminibus cassus soles cum noctibus æquas,
Nil nisi per somnum cæcus in orbe vides .
Vmbra hominum infelix,præsens tibi funera ducis,
Circumfers manes viuus & ipse tuos .
Cum tamen innumeris monstris circumfluat orbis ,
Nulla vides;tenebris plaudere disce tuis.
Ni citò deficeret miserum quod viuimus,isthæc
Sors tua sors cunctis inuidiosa foret .

96 *Beatus Aloysius Gonzaga ab incendio dormiens in proprio lectulo illæsus .*

FOrte repentinum Gonzagæ lectulus ignem
Concipit,& Iuuenem iam sopor altus habet .
Flamma vorax serpit:iam culcitra conflagrat,& quæ
Sopiti propiùs lintea membra tegunt ,
Iam prope ventum erat,vt niueos contingeret artus,
Cum sponte extingui maluit ipse focus .
An sensit se illic nil , quod purgaret , habere
Flamma , mori properans hoc venerata decus?
Sensit depositum Cælo, flammisq. beatis
Igne nefas tangi ; victima amoris erat .

Ve-

97 *Vetturia Matrona Romana Curiolanum filium contra patriam armatum placat.*

FRanguntur lacrymis interrita pectora ferro,
Et furias iactat vincere mitis amor.
Irruit in Patriam dux coniuratus, & ardet
Vlcisci, ac proprios perdere in igne lares.
Obuia cum properè Vetturia fletibus olli
Corde faces genitrix excutit, arma manu.
Væ tibi cognatis Roma euertenda ruinis,
Ni tibi, qui fletus vinceret arma, foret!
Oh ita vincendum Cæsar se præbeat olim,
Obruta cum fletu, & sanguine mater eris!

2650

98 *De vlmis Romæ in foro Boario Alexandri VII. Pont. Max. iussu plantatis, & nunc satis vmbrosis.*

HIc, vbi iam grãdes consurgere cernimus vlmos,
Vnde viatorem nobilis vmbra tegit;
Area nuda fori, calidisque in mensibus æstus,
Quando expers omni tegmine campus erat.
Si tibi quisquis ades, mirum est citò crescere syluas,
Te mirare die prætereunte mori.
Nuper ego intuitus nudum hunc puer arbore cãpum,
Me miserum his vmbris instruor esse senem.

Ad

99 Ad Dominum Sebastianum Baldinum Poëtam celeberrimum, de Sue, quem dono acceptum ab Eminentiss. Card. Chisio eruditissimè, & sapientissimè laudauit.

QVot tibi diuino fuerint miracula versu,
Grande argumentum! Sus tibi carmen erat.
Sus pinguis, quem mittendo venerabile donum
Principis eximij Quercus amica facit.
Tu Cælo, atq. astris æquà plus parte locandum
Er canis, & tanto carmine in axe locas.
O grandes Animæ felices viuite, & Ille
Det maiora Tibi, vt nobiliora canas.
Quid non attolles, diuine Poëta, canendo,
Quando humilem, & totum fers super astra suem?

100 *Nihilo minus flagitium est vitia fouere, quàm virtutem opprimere.*

IN præceps ruimus: laceratus perditur orbis,
Dum bona condemnat, dum malefacta probat.
Non vsquam tuta est probitas, quæ pendere pænas
Sæpe scelestorum cogitur, atque perit.
At contra regnat scelerum trabeata potestas,
Quodq sibi simile est, promouet, ornat, amat.
Si malus est, qui probra fouet; qui perfidus audet
Virtutem è medio tollere, iustus erit?

De

101 *De intempestiuâ pluuiâ, quæ Romæ contigit XIV. Kal. Augusti Anno Domini lustrali 1675.*

QVid ruit è Cælo pluuiæ importuna voluptas,
Aestiuoq. nimis tempore terra madet?
Debuit arentes potius calor vrere messes,
Et coquere effœtam ex æthere Cancer humum. 1680.
Non dum tempus erat sitientis viscera campi
Perfundi insuetis, dum furit æstus, aquis.
Anne nouos culpæ tulerunt super astra vapores,
Vnde vices mutent tempora, & astra suas?
Peccando fera fata lacessere desinat orbis,
Temporis optatu tempora quæque fluent.

102 *Nugacis quondam hominis demortui in cadauere Prosopopeia.*

QVid fuerim, quid simq. vides, informe cadauer,
Frigeo; viuus homo par tibi nuper eram.
Immemor interitûs viuendo plurima lusi, 1690
Cui totum in nugis degere ludus erat,
Irrepsit misero non intellecta senectus;
Vix mihi me suasit mors inopina senem.
Quàm modicum fuerit, vacuum quod viuere fluxit,
Nunc capio; nugas dedocet atra dies.
At mihi quisquis ades, debebis plurima, si mors
Hæc mea te meliùs viuere muta docet.

De

103 *De Sacro Iubilei Anno 1675. Romæ sanctißimè, & frequentißimè celebrato non obstantibus bellis totâ penè Europâ efferuentibus.*

1700 QVanquam belligeris laceratur cladibus orbis,
Atq. Europa suas ingemit inde vices:
Quanquam cognati feruent in prælia Reges;
Sarmatiæq. iterat Thracia luna minas:
Roma frequens populis lustrali se videt Anno
Ditis ad inuidiam pace, Deoque frui.
Supplicibus votis concurrunt vndique gentes,
Reddita virtutum hîc aurea sæcla rear.
Discite, quàm facile est homini reperire Tonantem!
Arma, metusq. inter (pergite adire) via est.

104 *Detestatio malarum voluptatum, & amor pœnitentiæ.*

1710 QVid mihi quid tecũ est intempestiua voluptas,
Dum regio exilij mè ferus orbis habet?
Dum video assiduos (queis sum pars magna) dolores,
Est vbi vix tantis mors medicina malis?
Nos potius tenuent ieiunia, vota, precesque,
Textilibus pœnis pungere membra iuuet.
Quando erit illa dies, quà libera carcere mortis
Optima pars nostri spiritus astra petat!
Plena voluptatis fuerint ea tempora, & ipse
Qui sperare iubet, hæc dabit ipse Deus.
Cor speremus iò, par est; satiabimur illic;
Hic pater ergo libens, quæ meminisse velis.

In

105 *In sacrilegum quendam latronem, qui vas sacrum abstulerat.*

FVr temerè Templo iunctas ingressus in ædes
  Vas sacrum abstulerat; se dedit atq. fugæ.
Aduertens custos accurrit, & increpat vltrò;
  Impie fur, Calicem redde, proterue Deo.
Deprensus tremit ille, morasq. innectit inanes;
  Tandem aperit, cur sit reddere lenta manus.
Tu cape; namq. sacrũ mihi tangere non licet, inquit;
  Ne me coge piam conscelerare manum.
Oh sanctum capitis genium, memoremq. salutis,
  Quem tantus tangit Relligionis amor!

106 *In Cemeterij areà vulgò* Campo Santo *deambulans author hæc secum meditabatur.*

HI, quorum premimus cineres, atq. ossa videmus,
  Viuentes nobis forte fuere pares.
Hi (proh quãta homini ambitio est!) cupiere perẽnes
  Arte, vel ingenio nominis ire vias.
Siq. fuit fauor à populo, fuit vlla potestas,
  (Heu monstrum!) vt superos se voluere coli.
Nunc vbi sunt fastus? vbi opes? vbi gloria formæ?
  En docet hic Campus, cuncta fuisse nihil.
Hoc, mea mens, meditare, tuiq. magistra redibis;
  Vtque Deo viuas, inspice, quid sit homo.





IO. BAPTISTÆ VGOLINI

EPIGRAMMATVM

LIB. III.

Ad Patrem admodum Reu. Nicolaum Mariam Pallauicinum è Soc. Iesu emeritum Sacræ Theologiæ magistrum, & nunc in Romano Collegio maiorum studiorum Præfectum.

130 SI quid adoratà studiorum Pallade cessas,
  Nec te in mente labor Numine dignus habet:
Quando mihi primus dederas ad carmina leges,
  Cum tantus meritis me cumulando fores:
Ne renue ex istis aliquid percurrere nugis;
  Infima sic radijs lustrat Apollo suis.
Si tibi quid placet inde, probem quoscumq. labores,
  Namq. orbi haud malim, quàm placuisse tibi.



Cur

1 *Cur studiorum instaurationem ipso mortuorum commemorationis die auspicemur.*

MOrti sacra dies instaurat Palladis artes,
Quod scire hoc verax est, didicisse mori.
Nam tibi quid prodest rerum cognoscere causas,
Ni vitæ, ac morti prospicis ipse tuæ?
Tunc res scire iuuet, cum contemplabere rerum
Discrimen, quas non deuoret atra dies.
Quid per grãde sophos furis immemor vsq; salutis?
Qui morti æternæ præcauet, ille sapit.

1740

2 *Ad nobiles, & studiosos Iuuenes; adhortatio.*

HVc agite, ò Iuuenum ex multis lectissima pubes,
Quos ad se impatiens diua Minerua vocat.
Queis iubet Aonios charitum recludere fontes,
Vnde immortales fama propinat aquas.
Oh ne pæniteat sacris proludere lauris,
Queis parat emeritas condecorare comas!
Hoc opus ingenijs, vestrâq. hoc indole dignum est:
Mortis ad inuidiam hoc viuere posse dabit.

1750

3 *Viri boni, ac Sapientis Vita, & Mors.*

TEr viuit sapiens, terrisq., sibique, Deoque;
Gestit io moriens, est cui vita Deus.

4 *Ad Excellentissimum D. Paulum Sfortiam, cui NN. erat inseruiturus:*

Paulus Sfortia. A forti plausus

Anagramma purum.

MOeonius vates, dum commendauit Vlissem,
 Accepit plausum, ceu dedit ille viro.
Aenean heroa canens sibi carmine laudem
 Virgilius peperit, carmine vterq; viget.
Qui te, Paule, canet, vel qui tibi seruiet, olli
 A forti plausus, nobile fænus erit.

5 *Ad Dominum Petrum Antonium Guerrerium, dum quadripartitâ Historiâ Carpineum Patriam, & Feltriam vniuersam nobilitat.*

PRoh qualem scribendo paras tibi fœnore famã,
 Dum patriæ illustras seu loca, siue viros!
Quàm tibi Carpineos Proceres obstringis, vt illis
 Sæcula dinumeras per duodena Genus!
Cætera quid memorē? quamuis obscura, triũphant
 Per te; deuinctа hinc Feltria tota tibi est.
Ergo neant Parcæ niueos tibi Nestoris annos,
 Qui sic das patriæ viuere nobiliùs.

Equus

6 *Equus ignaui militis militiam inuicem cum Domino detrectans.*

BVcephalus fertur dominum sensisse vehendo:
Non equus inferior sentit & iste suum.

7 *In ignauum, & fortunæ impostorem Naulum.*

IRo pauperior, Nattà quod segnior ipso,
Naule, in fortunam cur maledicta vomis?
Nunc quereris mores hominum, nunc sæcula carpis,
Cum tamen vna grauet tempora segnities.
Nunc malè principibus iustis malus ipse precaris,
Non vllum meritis questus adesse locum.
Inuidus inueheris, virtutum lumina mordes,
Queis iure auratas deuehit Indus opes.
Quid tibi pro scelere insano, quid deprecer? vt sis,
Qualis es, ignauus: nobile supplicium.

L 188

8 *Vexatio dat intellectum.*

NOs aduersa docent, quod dedocet atra voluptas;
Quid, quod & esse bonos ansia cura iubet?
Cum sors arridet, ventosa superbia mentes
Inflat; homo sese Numinis instar habet.
Vulnere Alexander sentit se, hominemq. fatetur;
Sorte fauente velit filius esse Iouis.

9 *In superbiam, & quàm nos ea dedeceat.*

QVid tibi nobiscum, malesuada superbia, vitam
Si in lacrymis agimus, soluimus in cineres?

10 *Ad Dominum Sebastianum Baldinum, de egregijs carminibus ab ipso ad Suecorum Reginæ Maiestatem conscriptis in gratiarum actionem pro Numismate aureo, quod ab ea acceperat.*

CArminibus, Baldine, Tuis vis tanta triumphat,
Ferrea musarum vt sæcla beare queat.
Huius in obsequium Regina Numismate misso
Ex auro, mundum, quid mereare, docet.
Tu, vates diuine, canens, ea dona remittis
Carmine, Erythreum vt vilius vsque so et.
Nobile certamen! Sed Tu, cum carmen vtrique
Aeterna efficiat nomina, victor eris.

11 *Ad Amicum Tusculanis in delicijs rusticantem autumnalibus ferijs, vt Romam redeat.*

MItius ecce abijt tempus, ceu commodet alas
Hora voluptatis solibus; vsque volant.

Ocyor

Ocyor Autumnus properat; iam culmina montis
Obijciunt cælo, quæ rediere niues.
Frigidius nostræ Cælum fugere volucres,
Vt degant, Nili quà leuis aura tepet.
Fallor, an ista iubent te Tuscula linquere Tempe?
Hac mercede placent frigora, & acris hyems.

12 *Beatissima Virgo in Templo præsentata.*

HÆc, quæ Diua subit Templum, quæ sistitur aris,
Artubus exigua est pupula, mente gigas.
Solis inoccidui aurora est, gremioque Tonantem
Mox geret, & pariet: tam placet alma Deo.
Salue, Diua potens superum, dum tantula Templum
Pupa beas; tecum ò sic mea corda trahe!
Digna Deo te offers; nil gratius orbis habebat,
Quodque vnum paries grandius, ipsa dabis.

13 *Ad Dominum Ludouicum N. eximiæ indolis puerum, dum scholasticis disputationibus in otium inuehitur.*

IActitet Alcides cunas replere triumphis,
Elidens tenerà grandia monstra manu.
Tu maior, Ludouice puer, dum monstra lacessis
Otia, dum ludo vincere posse doces.
Nam furiæ capitum proluserit ille feraci,
Hydram tu hìc victor prima trophæa refers.
Ergo triumphator vitiorum in origine spondes,
Vnica quæ virtus aurea sæcla potest.

14 *Ad Amicum satis vanum, qui vxorem ducebat.*

SParge, marite, nuces, quando tibi ducitur vxor;
Ludere cum vitulis fas sit,& esse bouem?

15 *Origo Macerata Feltriæ, Patriæ Authoris.*

PÆtinum Vrbs antiqua fuit non proxima monti
Carpineo(Senonum huic Vmbria nomen erat).
Cognati colles quà post decliuia desunt,
Et soli occurrens ducit Isapis aquas.
Venit ab Arctois terris gens Gothica,& Vrbem
Municipem Romæ vertit in excidium.
Hinc Macerata subis cunas sortita sepulcro:
Quanta erat Vrbs,quæ te vel pereundo parit!

16 *Iuuenis verè studiosus, & tali vitâ eximiè contentus.*

VIuimus in libris; luci præponimus vmbras:
Tantus amor nobis,docta Minerua,tui est!
Diligimus tenebras,& amica silentia noctis;
Solis obit nobis parua lucerna vices.
Si nos pallor habet, minus hinc pallebimus vmbris
Furnereis; maciem pallida charta docet.
Quin vitæ decrescat amor, dum mortis imago
Nobiscum ludit,mortua turba placet?
Nec multum est curæ,nisi nomina nostra supersint:
Nullus amor famæ, mors cui grata fuit.

17 *Ad Illustriss. & Reuerendiss. Dominum Abbatem Rinaldum de Albitijs tunc summæ indolis adolescentem nunc emeritissimum Præsulem vtriusq; Signaturæ Referendarium.*

PRoh quãtùm admiror Te fræna, Rinalde, regẽtẽ,
In campo, quoties ludere iuuit equis!
At si te Aonidum non dedignaris alumnum,
Quàm potis ingenio es nobilitare chorum!
Te qualẽ hinc spondes Genitoris ab indole in armis,
Ni malles ab Auo grandior esse togà?
Auspicijsq. Tuis nusquam fortuna repugnet,
Quam Rota in Albitij stemmatis orbe domat.

18 *Ad Feretranam Diœcesim, dum Illustriss. & Reuerendissimum D. Antonium Possentium Episcopum sortita est, gratulatio.*

FEltria, quid cessas persoluere vota Tonanti,
Cuius te in tanto Præsule visit amor!
Vix huic emerito caput ambijt Infula, maius
Cum sibi præsensit conciliasse decus.
Hinc tibi nobilitas, pietas, clementia, & omnis
Virtutum cætus cælica iura dedit.
Siq. prior tantum in te muneris exhibet annus;
Vt plaudis, reputa lustra quid inde ferent.
Quod superest, inter tot fausta precabere, ne ipsum
Illa tibi eripiant, quæ potiora meret.

19 *In Popilium M. T. Ciceronis percussorem, à quo idem parricidij reus fuerat in iudicio defensus.*

FErt caput ille tuum, Tulli, à ceruice reuulsum
 Popilius linguæ gloria summa tuæ.
Dum prius occidit Patrem, tu morte redemptum
 Iactasti, vt morti te ferus ipse daret.
Vix queat in te alios armare Antonius enses,
 Ni foret vna hæc te vindice salua manus.
Discat posteritas: Tanti est defendere crimen;
 Sic sibi carnificem Tullius ipse parat.

20 *Ad Amicum Religiosissimum, qui sibi puerulî Iesu paruam statuam ceream dono miserat.*

QVas tibi quas tanto referam pro munere grates,
 Si nihil hoc maius cælicus orbis habet?
Ille prius charitum, quotquot cupis ipse, fluenta
 Hic tibi diffundat cælitus ille puer.
Posteaq. emeritum sceptris te admittat Olympi;
 Vsq. iuues terras, seriùs astra petas.
Ast ego, tam tenerum quando mihi mittis Iesum,
 Hac face vt exurar, cerea corda velim.
Talia corda geram, quæ protinus ignea fient,
 Si ipse tuis precibus concilietur Amor.

21 *D. Catharina Virgo, & Martyr in vita, & morte triumphatrix.*

QVam diues palmis thalamū, Catharina, Tonantis
Sponsa subis! quāti est tam tibi dulcis hymen!
Vincis enim facunda viros, fideiq. triumphos
Virgo paris; vinci his gloria palma fuit.
Vincis, diua, rotam, genus insuperabile mortis
Nil nocet; hæc feruens omnia vincit amor.
In numeris superas palmis Catharina Tyrannum;
Atq; hæc, dum viuis, tanta trophæa refers.
Dum caput icta cadis pro sanguine lacte redundans,
Munere compensat se Deus ipse fidem.

22 *Ad Sydera: Stellæ autem dederunt lucem in custodijs, & lætatæ sunt &c.* Baruch. c. 3.

CÆli oculi vigiles, diuini luminis vmbræ,
Excubiæ superum, sydera, dulce iubar.
Quis neget esse faces vos immortalis amoris,
Vnde cor humanum discat amare Deum?
Quis non vos linguas, atque aurea dixerit ora?
Quis loqui in obsequium Numinis astra neget?
Hinc uos vrat amor; velutiq; in montibus aurum
Gignitur, hæ facient aurea corda faces.

23 *Ad Eminentiss. D. Card. Farnesium post reditum ex Bononiæ legatione, Comes N.N. Bononiensis eum Romæ sic alloquitur.*

Post vbi regales sensit, Tua Lilia, flores
 Felsina, veris opes, aurea sæcla tulit.
Delicium mihi dulce redis; sed vota meorum
 Torques huc rediens, quos patria ipsa tenet.
Certamen gerimus: quanti est quod vbique velimus.
 Te Dominum? voto diffidet ipsa domus.
Quid domus? Vrbs tota, & qui non te habuere requi-
 Et reditu Roma est inuidiosa tuo. (runt,
Oh triplici tandem cinctum hæc diademate adoret!
 Hinc te orbis totus sentiet esse suum.

24 *D. Gregorij Taumaturgi quædam prodigia.*

Qvis credat tumido dum campis impete fertur,
 Obijcibus virgæ sistere flumen aquas?
Quis credat montem, vt fixis radicibus hæret,
 Vocis ad imperium posse mouere latus?
Quin fieri possit, si factum cernis vtrumque?
 Firma fides iubet hæc Præsulis; ergo potest.

25 *Magni Macedonis Alexandri sacrificium.*

Fictilium quàm vana forent oracula diuûm,
 Quidquid Alexandro contigit, ecce docet.
Con-

Consulit ille Deos, quânam queat arte potiri
  Vrbis, quam validà cinxerat ante manu.
Continuò ex adytis vox est audita, futurum
  Victorem occiso, qui obuius vrbe foret.
Hic expectabat cultris heroa litandum,
  Et manibus tanti, nomine quantus erat.
Rusticus egreditur, cui vix præcedit asellus,
  Numine, Alexander, victima digna tuo.
Macte animis: peragis sacrum augustale Sacerdos:
  Quæ te, Asine, ò dignum gloria tanta tulit?

26 *Moderatio in prosperis quàm necessaria sit.*

AFfectus moderare tuos quicumque secundis
  Corda tumes; Versat sors inimica vices.
Terrarum heroës vicerunt regna, sed ipsis,
  Cesserunt vitijs; palma ruina sibi est.
Grandior orbe fuit, quem Roma subegerat armis;
  Quæ se ipsam posset perdere Roma fuit.
Otia vicerunt, subuertit dira libido,
  Vt decus hoc Martis perderet vna Venus.

27 *Ex Phaëtontis fabulà documentum; Ad Iuuenes.*

SOlis equos per inane regens ingentibus ausis
  Excidit vt Phäeton; quid didicisse iuuet?
Fabula vos monuit, iuuenes, nimis alta petentes,
  Prolabi in præceps ambitionis onus.
Disce puer, sanos dabit hæc tibi fabula sensus;
  Ima tene, lapsu ne grauiore ruas.

28 *In Beatissimæ Virginis Mariæ immaculato conceptu.*

ORbis ouat, Natura stupet, formidat Auernus,
Spes redit, arrident sydera, luctus abit.
Concipitur paritura Deum: quis gaudia terris
Expectata vetet? gestiat ipse dolor.
Quis verò hic maculas reputet, labemq; Parentum?
Huic Deus, huic primas possidet ipse vias.
Candidior niue, par soli, fulgentior astris
Hæc Aurora iubar non peritura feret.

29 *Ad eandem Beatissimam Virginem, dum se paruulam Altissimo gloriatur placuisse.*

SE tibi se totum debet malè perditus orbis,
Paruula, dum summo te placuisse refers.
Immensas tam parua potes reparare ruinas,
Dum reparatorem Mater ab axe trahis.
Ancillam appellans minuis te, quando iuberis
Numinis esse parens, sic magis vna places.
Ergo te paruam sibi redditus orbis adorat;
Se, dum defendas, sentiat esse tuum.

30 *Cordati hominis est vtilitatem ex inimico capere. Xenophon apud Plutarchum.*

GEns inimica iuuet te odijs, si noueris vti,
Seu mouet arma in te, seu maledicta vomit.
Rex

Rex Ponti documenta dedit, dum sæpe venenis
 Pastus ab excidij fonte bibebat opem.
Quis neget hoc? faciens te plura pericula cautum,
 Audacem reddet, qui tibi bella ciet.
Sic tibi liuor edax virtutum lumina pandet;
 (Namque assentator te docet omne nefas)
Vix tibi amica fides adeò, quàm proderit hostis,
 Si sapies; fortem, quæ iuuat, anne doles?

31 *De Cometis, qui anno 1665 apparuerunt.*

AEthere dum nuper plures arsere cometæ,
 Et Cælum Eumenides præbuit inde suas;
Quid non formidet scelerum sibi conscius orbis,
 Tartara si Cælum, quæ iaculetur, habet?

32 *Ex Proserpinæ fabulâ documentum.*

VEris opes prædata legit Proserpina flores,
 Cum fit flos eadem præda repente stygis.
Quos sensus operosa refert hæc fabula? vitam
 Inter delicias mors inimica rapit.
Ergo venenatos fuge, pessima gaudia, flores,
 Siue illic tibi non fabula luctus erit.

33 *Solis nascentis effectus Diuinæ Gratiæ fulgoribus comparantur.*

VIx sol eois emergere cernitur vndis,
 Cum sibi de tenebris redditus orbis ouat.
Lucis in obsequium mulcent concentibus auras,
 Hinc volucres, illinc florida ridet humus;

Quando erit, vt noſtris oriatur cordibus almum,
Diuinæ lucis, nocte abeunte, iubar?

34 *Zeuxis pictor eximius nimio riſu emoritur.*

PIctâ zeuxis anu obtutus in imagine figit,
Quam macies animat,rugaque anilis arat.
Hinc ſe ſe in riſum ſoluit,tantoque cachinno
Rumpitur, vt vitam finiat inde ſuam.
Heu mors prompta nimis! Mediam ſe riſibus indit:
Hic fert,hic telis vulnera facta ſuis.

35 *Mala punica ſeu grana ad Amicum dono mittuntur.*

AVrea dona velim tibi ferre, vel inclyta poma
Heſperidum, aut ſi alibi nobiliora vigent.
At mea paupertas vetuit te grandia vota
Concipere hinc, prorſus ruſtica dona vides.
Punica mala mei vultus imitata colorem
Hæc ſunt: ſpernere opes munera parua docent.
Excipe; quid dubitas? nullum hæc meditata cruorē
Grana rubent; non eſt punica noſtra fides.

36 *Ad Thimonem Athenienſem,dum amore amens marmoreum ſimulacrum adamabat.*

DVrus amor ſolidas accendit marmore flammas,
Ignis amor gelido in marmore corda cremat.
Siccine marmor amore foues,vt viuere ſaxum,
Si vitalis amor, feruere poſſe reat?

Quin

Quin age, ne dubita; viuit redamaret amantem
Te lapis, at nimio tactus amore stupet.
Perderis inde miser, tantos dum perdis amores,
Nec responsuras quæris amore faces.
Stulte furis, tantum mirantur saxa stuporem;
Sed, stupidus magis est marmore, quisquis amat.

37 *D. Thomas Apostolus de fide dubitans.*

Vera fides cerni nequit, & non tangitur vlli;
Posset si tangi, non foret illa fides.
Sed Thomas dubitans contrectat corda Tonantis;
Ipse vnus iactet sic tetigisse fidem.

38 *In sanctissimum diem Christi Domini natalitium.*

Virgo parit: nullo conceptam semine Prolem
Excipiens orbis sentiat esse Deum.
Virgo parit: tellus iam coniungatur Olympo,
Syderibus pariens ipsa maritet humum.
Virgo parit: Deus ecce Deus tua corda requirit;
Fænore quis tanto quis redamare neget?
Num refugis? te Numen amans sub rupe lacessit;
Væ tibi, ni tanto discis amore capi.

39 *In eadem sanctissima solemnitate, quam præcesserant largi imbres &c. Aperiatur terra & germinet Saluatorem.*

Quid riget à niuibus, madet imbribus, vda pruinis
Squalet humus? se se tota lacessit hyems?

Iu-

Infœcunda situ fordet, decus omne refugit
Tellurem, glacies, & ferus horror habet.
Num ſteriliſcet humus? quin ſic aperitur, & imbres
Hos amat, vt florem germinet ipſa Deum.

40 *Ad ſacram Virginem Monialem nomine Vincentiam N. N., cui natalitia in Chriſti ſolemnitate ſalutem auſpicatur, & breue dicit Epithalamium.*

E Cælo tibi ſponſus adeſt, Vincentia: quid ni
Gratuler, & fauſtos auſpicer ire dies?
Gratulor, & multam tibi deprecor inde ſalutem,
Vnde tibi apparet ſpes, amor, ipſa ſalus.
Omnibus exoritur, ſed pars te maxima ſponſam,
Fortunata, manet, dum te hymeneus adit.
O digno coniuncta viro! lætare, triumpha;
Vt nubas dignè, venit ab axe Deus.
Hic Superum riſus ſua gaudia lacrymat orbi,
Arridet ſponſis, virginibuſque ſuis.
Illæ te lacrymæ faciant ſine fine beatam;
Vagiet, vt puer; aſt omnia ſentit amor.
Perdit delicias, quòd neſcius orbis amandi eſt,
Tu capies vel quæ murmura dulcè dabit.
Dum ſol hic oritur, tenebris nox occupat orbem;
Ne iubar hoc videant, lumina ſomnus habet.
Non habet obſcurum tua nox: Vigilantibus aſtris
Te ſimilem reperit, lumine, corde beat.
Verbum alijs ſilet hoc; te dulci ſponſa beabit
Alloquio; capies cuncta, docebit amor.
Ergo plaude tibi, Vincentia, vincere Numen
Dum tibi fas, alijs vincere grata potes.

Virginitate places; fas est tibi flectere votis,
Dum digne e cipitur iam puer ille gigas.
Nomine dic nostro tu sponso sponsa salutem;
Ingrata at sponsis est mora quæque: Vale.

41 *Ad Amicum cui pro strenâ felicitatem auspicatur.*

MVnera debueram, sterilem per verba salutem
Dum mitto, at Verbum munera quæque præit.
Sacra dies Verbo, quod missum munus Olympo est;
Si precer hoc faustum, non tibi verba dabo.
Pauperiem ne sperne meam; cape verba salutis;
Verbum contractum est, pauper & ipse Deus.

42 *In Herodem Innocentium puerorum interfectorem.*

INfantus Regum timor est: dum sceptra tuetur
Herodes, regnum destruit ipse suum.
Quos reget Imperio, si primo in limine vitæ,
Non timet infantum præcipitare diem?
Ergo, si exhaurit populis sua regna tyrannus,
Oh discat furijs imperitare suis!

43 *In sanctissimâ Christi Domini Epiphaniâ.*

NVminis enati properant duce sydere reges
visere dum cunas, mystica dona ferunt.
Quis tantis neget exemplis dare corda puello,
Quando amor hic superum talia dona petit?

Fer-

Ferrea sed nobis, heu sunt, vel saxea corda;
Ergo dare, vt fiant aurea, corda iuuat.

44 *In vanissimam cuiusque hominis superbiam.*

SYdera dum tumet expandens Iunonius ales,
Desinit, informes si videt inde pedes.
Non desistit homo, fastuque animante superbit;
Num, quos respiciat, non habet ipse pedes?
Si genus expendat, telluris filius ipse est:
Hoc melius norit, si mediteur auos.
Munia si spectet, secum hæc moritura dolebit,
Si metam memoret, mox erit ipse cinis.
Respiciat: Pedibus quid nam deformius hisce est?
Hi caput erudiant; sanius ibit iter.

45 *De domandis humani cordis affectibus.*

COr tibi adurit amor, mouet ira, superbia versat?
Alcidem excelles, si hæc tria monstra domas.

45 *Ad Dominum Christophorum Gabel N. cuius Gentilitium insigne est Castellum cum duobus leonibus, qui geminas coronas sustinent, dum breui moratus Romæ inde discedit.*

CVm tibi sustineant geminum diadema Leones,
Indolis augustæ grandia signa tuæ;

Re-

Regales animos Vrbs non ignaua Quirini
Sensit, vt aspectu vix hilarata tuo est.
Ast Vbi te patrijs festinas reddere terris,
Exercet curis anxia corda dolor.
Huc iterum vt redeas, siquidem rapis Vrbis amores,
Romulidum mitem noueris esse lupam.

47 *Perniciosæ voluptatis imago.*

SArdois, ceu fama refert, reperitur in oris
Herbula, quæ risu cor hilarante, necat.
Dumq; putes miseros sua promere gaudia vitæ,
Luctificum retegit mors inopina iocum.
Fallor, an huic herbę est similis male sauda voluptas,
Quæ mortem incautis alliciendo parit?
Heu fuge dulce malum! latitant sic floribus angues;
Disce voluptati, ne moriare, mori.

48 *Voluptas dulcis habenda non est, cum sit inutilis.*

SI punctum omne tulit qui miscuit vtile dulci,
Audiet hęc dulcis perniciosa lues?

49 *Exempla magis mouent, quàm verba.*

NOs mouet exemplũ, quos nũquã verba mouerẽt;
Ergo prius faciat, qui bene suadet, opus.
Quod si quis peraget stultè contraria verbis,
Vix risum teneam, tam bonus author erit.
Desine mirari, si non virtutis amator
Est mundus; nemo, quod iubet, ipse facit.

Ad

50 *Ad Dominum Iosephum Florentium doctorali laurea insignitum, & in gentilitium eius insigne.*

Lilia deliciæ Regum, leo regius horror,
Sunt tibi gentis honos; hinc amor, vnde metus.
Hoc decus eximium, Florenti, legibus armas;
Deliciæ hinc fortes; mitior ipse Leo est.
Floribus innocuis reuocata Astræa leonem
Leniet; in gremio Virginis agnus erit.

51 *Facetus de puero quodam euentus.*

FOrte canem saxo petijt puer; irrita cessit
Sed manus, & saxo tacta nouerca gemit.
Hæserat; in risum mox soluit; amabilis error
O', ait, ista mala est, & ferienda Canis.
Sæpe homini in melius prodest fortuna nocendo;
Hinc potior voto vel tibi casus erit.

52 *Ad Amicum, qui Annulum cum imagine mortis in gemma dono dederat.*

SI dona ex auro mittis, cur mortis imago
Pallida funestat munera tanta precor
Me capit hoc fidei monumentum, & pignus amoris,
Territat immitis qui necis horror inest.
Sed placet: ista gerens mortem meditabor, & vna;
Ergo fata mihi sic pretiosa facis.

Ad

53 *Ad Excellentissimum Dominum Ducem Mattheum, & in eius gentilitium insigne; Alumni Collegij Matthei sic eum alloquuntur.*

Gentili fulget Tibi stemmate regius Ales;
Cur simul inscribi ludicra bella iubes?
Anne doces lusum esse tibi moderarier Orbem?
Num tibi per ludum vilia regna putas?
Omen vtrumq, iuuat: Patrem veneramur alumni:
Oh ne degeneres nos tua damnet Auis?
Sic te digna tibi cedet laus prima Parenti,
Sic duce te nobis gloria lusus erit.

54 *In quendam ludi Magistrum imperitum, & superbum alios prouocantem.*

Res est plena furoris in arte lacessere, quamuis
Rite scias, quamuis sis Cicerone prior.
Proh quàm pallebat sub Apolline Marsia victus!
Non alio certes pignore, quando tumes.

55 *Ex Niobes fabulà documentum.*

Tantalidê lacrymis referunt in marmora versam,
Dum bis septeno funere mersa gemit.
Viderat infælix quàm ferueat ira Deorum,
In gnatis toties morte petita parens.
Fleuerat extinctosq, mares natasq. peremptas,
Quantaq. erat Niobe, nil nisi fletus erat.

Cum

Cum placuit superis miseræ vel perdere luctum,
Versa est in saxum, diriguitque malis.
Discite quàm superos nusquam contemnere tutū est;
Ne leuet inde reos, fit lapis ipse dolor.

56 *In quendam hominem bacchanalium feriis mortis habitu personatum.*

SI genio indulges, cur mortis imagine terres?
Si vitam exhilaras, quid necis ora geris?
Insanis vità indignus, dum funera misces
Lusibus, excipiens vltima fata iocis.
Num sapere ostentas trabeatus morte per vrbem?
Gaudia num prohibes nos moritura sequi?
Imò sequi mandas: citiùs mors omnia versat;
Lætitiam hinc orbi præcipis; ergo sapis.

57 *In Iuuenem muliebriter personatum.*

DVm personatus sexum mentiris, habere
Fœmineos sensus te, geniumque doces.
Sed mollis quanquam vt mulier, robustiùs audes
Peccare hoc habitu, criminibusq. viges.
At tibi, dum sexum hunc præfers, succenseat ipsa
Natura, inuito quæ dedit esse virum.

58 *De sacris Cineribus, qui mortem nobis indicunt.*

QVid cinis impositus capiti, nisi mortis imago?
Mortalem sacer hic te cinis esse monet.
Ergo quid insanis, quidnam, malecaute, superbis?
Iam iam te cinerem perbreuis vrna teget.

Si

Si te si talem sentis, hinc viuere disces:
Hoc præter, nil te cætera scire iuuet.

59 *In idem argumentum se ipsum author alloquitur.*

SI mihi me cinerem memorat cinis iste, diesque,
Cur me iterum transfert irrequietus amor?
Sentio me cinerem; cordis tamen ignibus vror,
Ignis hic annorum non timet ipse gelu.
Vel mihi da fusis lacrymis extinguere flammas,
O Deus, aut facibus feruere corda tuis.

60 *In spem inanem bonorum mortalium.*

SPes iubet insanos, spes improba, ferre labores,
Nil profecturas dum male spondet opes.
Quid tamen hic speres, quando indiga terra salutis
Nil Cælo inuito, quod dare possit, habet?

61 *De profundis clamaui ad te Domine &c. vehemens sui status meditatio.*

QVidquid eram, perij; merserunt crimina, & atrū
Vertit in excidium me scelus, atra lues.
Horror habet vitæ, caligant lumina frontis,
Altaq. nox pressit, me nigra regna tenent.
Nubilus ignis obest, tellus, & pontus, & aër,
Ne videam solem, sydereumque iubar.
Hinc tamen exclamo; me hinc exaudire vocantem
Tu potes, vt te sunt omnia plena, Deus.

DI-

62 *Diligite inimicos vestros vt &c.*

INsonet horrificis orbi noua buccina bombis,
 Dum leges populis,qui tonat,ille iubet.
Sed quas òh leges ! Stygiæ tremuere phalanges,
 Queis genus imperij hoc horrida bella ciet.
Vinci odium officijs,inimicos mandat amari,
 Pensari amplexu noxia cuncta monet,
At quale huic meritum spōdetur, & inclyta merces?
 Qui facit ista, Dei filius esse potest,
Hinc quàm certa trophæa manent! victoria laudem
 Hæc habet, ipse amor est laurea, palma Deus.

63 *Detestatio criminum, & votum Au-
ctoris ad Deum, vt sibi
cor mutet.*

ME miserum toties deliramenta sequentem
 Heu cor destituit,mens malesana fugit!
Immemor ecce mei gelidas cinis ibo sub vmbras,
 Formidare stygem vita peracta iubet.
Effugit ipsa dies, imò tantum tempora cycnos,
 Vanus at in niuibus me tamen vrit amor.
Vel mihi cor melius, Deus, ò largire precanti,
 Vel quale hoc cumque est,ignibus vre tuis.

64 *Constantia in aduersis fortiter
tenenda.*

PErge; malis ne cede tuis,quicumque laboras;
 Sors facit alternas gratior ipsa vices.

Com-

Commendat miseris labor improbus ipse quietem;
Sic solet à tenebris charior ire dies.
Consilium est superis miscere aduersa secundis;
Bella moues Cælo, ni tua fata probas.

65 *Amor sacræ sponsæ lacrymas suas delegat ad Deum, & veram inde charitatem exposcit.*

ITe leues lacrymæ feruentis succus amoris,
Nunciæ flamma mei pectoris, ite preces.
Ite; dabunt vobis celeres suspiria pennas,
Signabitque viam dux nouus Argus amor.
Solis inoccidui trans sydera scansdite calles,
Quà charitum omne decus, quà Deus ipse nitet.
Dicite, diue, tuus me amor, & tua spicula tangunt,
Nec precor vt parcas; ignibus adde faces.
Esse velim phœnix; rogus ipse, cor araque fiat,
Me cremet ignis amor, sis noua vita, Deus.

66 *Quanti sit semet ipsum cum suis affectibus vincere.*

QVicumque in mundo virtutibus audijt heros,
Siue armis tanti, seu fuit ille toga;
Nusquam maiores iactet retulisse triumphos,
Quàm si animi affectus contudit ipse suos.
Cumq. ferant omnes proprio hæc in pectore mõstra,
Cur non Alcidas sæpius Orbis habet?
Ergo quisquis amas famæ dare nomina, & astris,
Cernis, an hæc habeas ampla theatra domi.

67 *Ad Amicum in cuius annuli gemma serpens erat incisus.*

FVlgurat in digito fidei tibi pignus, at aurum
Funestat coluber, quo fera gemma nitet.
Irradiat Gangis fluctus; micat ore trisulcis
Vipera sed linguis; hæc fugat, ille capit.
Auro eques effulges; Verùm Cleopatra venenum
Vipereum experta est morsibus, & perijt.
Proh quantũ sapit ars! ferus hinc fit amabilis horror.
Exornat serpens nuper imago necis.

68 *Quidam miles, cui plumbeæ glandes defecerant, euulsis sibi dentibus tubum æneum charmat, vt hostes perdat.*

MIles vt igniuomas animabat arundine mortes,
Plumbea glans acri defuit, arma, viro.
Quid faceret? se se vel deiecisset in hostes,
Si rapidæ posset glandis obire vices.
Instruis ingeniose furor, furor arma ministras;
Oh dignum facinus, quod super astra volet!
Dentibus euulsis sibi met, ferit eminus, & se
Armatum ostentat se ossibus esse suis.
Tantus amor pugnæ, tamque est victoria cordi!
Quis nam feruidiùs morsibus vsus erit?

69 *Mater ad annuli gemmam sibi demortui in bello filij redditam, in qua Phœnicis volucris imago erat impressa.*

Nonne dedi nato genitrix hoc pignus amoris,
Dimidium vitæ dum tulit ille meæ?
Gemmeus hic phœnix, fuluo est qui concolor auro,
Pallidior Domini funere gemma fui.
Heu matri, iam non matri, tam parua remittis,
De te, nate, tuæ? vult sibi plura dolor.
In lapide hoc gemitus surdis iactabimus auris;
Tu fortè alitibus præda, ferisque iaces.
O' miseranda parens pretio fraudata doloris!
Te videam extinctum, nate, leuamen eris.

70 *Ad DnūmN. Melleū doctorali legū laureā in Montis alti Collegio Bononiæ insignitum.*

SÆuitiam legum facundo melle maritans
Quid sperare iubes? Mellea iura dabis.
Nobile prodigium! commiscens vtile dulci,
Stemmate sic metam tangere nemo potest.
Felsina quod dederit flores in Monte legendos
Docta tuis apibus, nectaris haurit opes.
Et quamuis Astræa neget se reddere terris,
Vnus melle fluens aurea sæcla facis.

71 *D. Ioseph sanctissima Dei Genitricis Sponsus.*

QVantus es, ô Ioseph, cui desponsata Tonantis
 Tam miro assensu est filia, Sponsa, Parens!
Cui tanquam Patri paret regnator Olympi,
 Nutriturq. Puer sumptibus ipse tuis.
Cui comes, exilio cum patria limina mutas,
 Exulat vt profugus cum genitrice Deus.
Qui vir primus habes deuinctum Numen, vt Astra
 Fortior Alcides sustinuisse potes.
Dum moreris tandem, tibi Sol, & Luna laborant,
 Interitumq. tuum lumina tanta beant.
Oh vitam! oh mortem! Inces has inter amassent
 Viuere sic superi, sic potuisse mori.

72 *D. Benedictus, lilium inter spinas, dum extincturus sensus perduellis faces inter vepres se cruentat.*

CVm retulere rosas Cytherea sanguine tinctas,
 Vana fuit vatum fabula, græca fides.
Tu, Benedicte, faces Veneris dum sanguine mergis
 In spinis, niueæ quàm rubuere rosæ!
Athereus tibi risit Amor, victusque cupido
 Erubuit, stimulos hic tegit, ille capit.
Hinc tibi serta parant, quæ lilia vepribus armas,
 Et rosa te vestit murice tincta suo.

In

73 *In sanctissima Immaculatæ Virginis Mariæ Annunciatione.*

ALigerum Deus ecce Deus delegat ab Astris,
Vt Verbo in terris Virgo sit vna parens.
Illa quidem tanti est, electa ex millibus vna,
Se dignam æternus quam sibi fecit Amor.
Ergo quis hic patrum maculas ab origine fingat,
Si tanto hic patribus plus habet ipse Deus?

74 *D. Franciscus de Paula super pallium mare traijcit.*

NVllã naue maris dum præterlaberis vndas,
Et te pro naui pallia parua vehunt;
Fallo, an vt plenum te Numine senserit æquor,
Atque tibi est eadem, quæ fuit vnda Deo?
Obruit ipsa graues mundo, at quos Numinis implet
Spiritus, extollit: hic tibi nauis erat.

75 *Redeunte vere diuinus Flos Campi emoritur.*

CVm iam vere nouo pubescunt germina florum,
Heu Flos æthereus grandine mersus obit.
Grando flagellorũ hunc sub vulnere, turbo cruentus
Perdit, & innumeris ictibus aura gemit.
Quodq. magis mirum est, brumalis pretulit annus
Hunc florem: ò vtinam ver procul orbe foret!
At cum sponte ferat Flos hic medicamina succo,
Ver ades; hinc terris cælica messis erit.

76 *Veni dilecte mi in hortulum meum &c.* Cantic.

EN age quid cessas? reuoluto tempore flores
Sponsa legit, sponsum germine, corde vocat.
Sponse veni, te chara vocat post frigora, & imbres,
Hortus Virgineas det tibi veris opes.
Sed cur pallor habet te, flos pulcherrime? quid te,
Heu cruor incestat? Sanguine Sponsus eris?
Sponsa pati vt discat, pœnas pro floribus offers?
Sic mihi, sponse, places, sic mihi, Sponse, veni.

77 *Ad Beatissimam Virginem Matrem, de rediuiuo Domino Iesu.*

POne metum: rediuiuus Amor iubet ipse parentem
Te, Virgo, in plausum surgere, flere vetat.
Viuit io gnatus, quem lamentaris ademptum,
Viuit, & ore suo fert tibi, Mater, Aue.
Desijt, inquit, hyems, posuit furor impius anni,
Grando flagellorum, sæuius imbris onus.
En tibi veris honor, floris tua germina terras
Teq. beant; meliùs flos tuus ipse viget.
Fæcundauit hyems orbem, ver fore fouebit;
Tanta opis in gnato me pia mater eris.

78 *Christi Domini rediuiui de morte victoria.*

IMmortalis humo deuictà morte reuixit,
Nazareus, saxo mors tumulata iacet

Quan-

Quanta triumphali victori palma refulsit
Vicisse, & busto contumulasse necem?
Ergo cur morimur, si nobis ille triumphos
Tot retulit? miseros mors tumulata necat?
Si sumus iniusti, morimur, nam dormit in illo
Iustus, & æternum mors perimendo facit.
Oh fac me talem victor fortissime mortis,
Nectare tum potior mors mihi somnus erit.

79 *Ad D. Mariam Magdalenen prope Christi sepulcrum.*

MAgdala quid toties viduata sepulcra reuisis?
Quidue diù custos frigida saxa foues?
Hic ego te è saxo credebam immobile signum,
Sed flens te gemino viuere fonte doces.
Hinc tamen esse lapis, fontesq. emittere aquarum
Credita es; at spirans palpitat ipse sinus.
O' quam fortis amor, fletus dum se ruet in vndis!
Non negat his vinci fletibus ipse Deus.

80 *Vernum frigus aduersantis fortunæ specimen.*

POst vbi veris honos animarat risibus hortos,
Intempesto iterum frigore squalet humus.
Quæ temerè induerat vernis se floribus arbor,
Destruit autumnum in germine, poma necat.
Terra nouis iterum luget sua damna pruinis,
Primaque marcescens gramina pallor habet.
Dispeream, huic nostræ si dispar sortis imago est;
Spem florum obtruncat ferrea semper hyems.

81 *Verna pluuia quàm diuersè terris benefica.*

IMbribus vda dies lacrymauit gaudia campis,
Vnde alma in flores luxuriauit humus.
Lacteus imber erat; canent hinc lilia pratis;
Purpureus fuerit, si rubuere rosæ.
Ros niueus dederit gemmascere ab imbre ligustris!
Tinxerit, & varius cætera serta color.
Quid tamē hinc rigidi horrescūt in acumina vepres;
Non ne idem spinas vtilis humor alit?
Vsque adeo & donis rerum natura repugnat;
Sic mala quæque foues, asperiora facis.

82 *Ad Amicum verno tempore inter scribenda carmina rusticantem.*

QVamuis te monuit ver linquere Pallada, & Vrbē
Et Floræ addictus sordida rura tenes;
Doctus Apollineis sacra ferre sororibus ardes,
Et lauro redimis nobiliore comas.
Perge; inter fragiles morituri veris honores,
Aeternas reddis carmine ruris opes.

83 *Ad D. Vitalem Martyrem pro fide saxis obrutum.*

DIc mihi, cur morti te saxa cruenta dederunt,
Vitalis, vita si tibi nomen erat?
Fallor, adoratam dederunt tibi saxa salutem,
Hæc potuere amplam sternere ad Astra viam.
Dum-

Dumq. tuo lapides retulere cruere pyropos,
Gemmatum is cruor ad sydera fecit iter.

84 *Prudentia, & Fortitudo; Ex sententia Pittaci Philosophi.*

NVminis instar habet multum prudentia; vitæ
Hæc virtus cunctis præcauet vna malis.
Ast animi robur gaudet vicisse ferendo
Fortiter, aduersas dedecorasse vices.
Hæc duo virtutum si lumina iunxeris, orbem
Reddes te emerito digna theatra viro.

85 *Ad sepulcrum Domini Francisci Mancini olim Montis Taxorum in Feretrana Diœcesi Parochi viri integerrimi, & de Authore optimè meriti.*

AD tumulum, Mancine, tuum, probitatis ad vrnam
Lacrymor, extincto te mea fata queror.
Vnus nuper eras, per quem mihi terra placebat
Patria, quò rediens te ad tua busta voco.
Sic noctem, & surdas mœrens interrogat auras,
Amissos fœtus dum philomela dolet.
Et quanquam maturus obis iam plenior annis,
Heu mihi (crede oculis) raptus es ante diem.
Inferias ne sperne pias, dum flore sepulcrum
Spargo; vel arenti hoc germine viuet amor.

86 *De bellorum tumultibus, quibus Christianus Orbis agitabatur anno 1664.*

CHristiadum Proceres nullis dignanda triumphis
Mutua cognato ſanguine bella gerunt.
Hinc gemit indignis laceratus cladibus Orbis,
Noſtro creſcentes ſanguine Thraces ouant.
Pannoniæ vorat atra lues iam viſcera, & ales
Armiger ad fulmen fulmina iniqua pauet.
Ne magis, ò noſtris ne cladibus augeat orbem
Luna hæc; deficiat ſanguine tincta ſuo.

87 *Diua Catharina Senenſis roſis ſpinas præfert.*

EN Catharina tibi geminum proponere ſertum
Dignatur ſponſus: delige, cinge comas.
Primus ab æthereis florum Regina viretis
Fulget honos: ſuperi pignora veris habes.
Altera ſerta rigent; contexuit impia tellus
Textilibus pœnis; ſpineus horror ineſt.
Quid dubitas? lege, ſpōſa, roſas, cape munus Olympi.
Deſine: quis vepribus poſt habet orbe roſas?
Se ſpinis redimit Catharina, ſimillima ſponſo
Sic fit: adoratum quis neget eſſe decus?

Ad

88 *Ad Heracliti simulacrum in viridario, qui lacrymis fontem effingit, & eiusmodi versus in lapide incisos manu ostendit.*

Cernite, sic hominum plaudit formosior ætas,
Sed mox labentis præterit instar aquæ.
Manè vigent flores, redeunti vespere languent;
Quos videt exortos, enecat vna dies.
Arboribus pompas in flore interficit æstas,
In pomo autumnus; frondibus orbat hyems.
Et quis flere neget, lacrymarum ducere fontes?
Viuus homo lacrymæ est, morte sequente cinis.

89 *In Aulam, & in perditos aulicorum mores.*

Vrbs, honor, Aula vale: vixisse inglorius æuum
In syluis malim, quam viguisse malis.
Quàm benè concinuit vates in te! exeat aulâ,
Vrbe procul fugiat, qui volet esse pius.
Vere hic nulla fides, fauor est hic perfidus oris;
Est fallax risus, mollia verba necant.
Ius datur hic sceleri, vocem non facta sequuntur,
Frons tegit apta dolos, melle venena latent.
Si me alibi excipient inopes sine honore penates,
Fraus me nulla premet, nec metus; aula Vale.

90 *Diua Monice Sancti Augustini Mater.*

Ponere qui iustis discrimina fletibus audet,
Nescit quàm feriat pectora, corda dolor.
Flet Monice gnatum metuendà in nocte sepultum
Errorum; his tenebris præferat illa necem.
Inde parens lacrymis, precibusq. fatigat Olympum.
Donec tot votis annuit ipse Deus;
His Augustinum lacrymis ita debuit Orbis:
Rore madens gemmam ex æthere concha parit.

91 *Ad sanctissimam Christi Domini Crucem in eius inuentione.*

QVod fuerat labes quondam, venerabile lignum
En colitur; solium Numinis esse patet.
Supplicium fuerat scelerum; diademata regum
Nunc ornat, gemmis nobiliusq. micat.
Cor mihi tale fuit, sordens sentina malorum,
Exitiale nefas, & sibi pœna comes.
Arsit amore amens, vesanà ferbuit irà,
Omnibus infœlix regia criminibus.
Mutauit Crux alma vices: cor degener audes
Desipere? O sibi is hanc tibi fige tuis.

92 *Diuus Stanislaüs Petrum triennio ante mortuum testem adducit ad Regem.*

STanislaë iubes testem prodire sepulcro,
Et paret: verax quàm fuit ista fides!

Ob-

Obstupuit Rex ipse ferus, sceleruṁq; tribunal;
Ille nihil sperans, nil timuisse potest.
Sponsorem tantum non Regis gratia vicit;
Cumq; fidem faceret mors tibi, quantus eras!
Par erat id facinus placidum tibi reddere Regem,
Ni morte, atq; Erebo sæuior ille foret.

93 *Fraga ad N.N. dono missa.*

POma dare Alcinoo credar, si paruula mittam
Dona tibi: Eximius quantula suadet amor!
Exue magnanimos sensus; syluestria dona
Excipe, quæ vultu vel rubuere meo.
Fraga vides nostri redamabile pignus amoris;
Nulla rear, totidem ni quasi corda forent.
Hæc ad te nostri properant hæc æmula cordis:
Qualem fecit amor me sine corde docent.

94 *De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.*

QVis diuus nostris succedit sedibus hospes?
O amor! Excipiunt pectora nostra Deum.
Fit cibus omnipotens, paruus fit rector olympi;
Vt faciat magnos, tantulus esse cupit.
Oh sortem! capiunt fælicia corda Tonantem:
Quid sibi, quid maius pectora nostra velint?
Deliciæ superum quin tantulo in orbe latentes
Nos rapiant? nobis quàm pretiosa fames!
Hic cibus est nostri magnes diuinus amoris;
Delicij æterni hæc fercula pignus erunt.

95 *In sanctissimi Spiritus aduentu.*

VRor iò: cælestis aquas date nectaris, vndam
Fluminis ætherei, fundite roris opem.
Vror; at ista sitis pro flumine posceret ignes,
(Quis credat?) flammas prodigiosa sitit.
Fundimus en lacrymas, si demeruisse fauillas
Fas fotet optatas, quas daret ignis amor.
Ecce dies illuxit, Amor quà profluus ignem
Misisti terris; Spiritus imber erat.
Ergo mihi hæc auidas vrat sitis arida fauces;
Potus quid sit, si est tam pretiosa sitis?

96 *Ver proterit æstas.*

VEris honor languet: feruentior incipit æstas:
Fallor, an inuidit diues Olympus humo?
Inuidit Sol ipse pater sua munera campis,
Hinc furit, & radijs concremat omne decus:
Inuidit, tot nuper erant hìc sydera flores,
Cælicus innumero vt sydere vernat ager.
Nunc vidua emoritur sub tanta incendia tellus,
Amissas & opes arida prata gemunt.
Disce hinc, quàm subito pulcherrima quæq. peribũt!
Hoc sibi nequidquam Sol licuisse dolet.

97 *D. Bonauentura adhuc puerulus à Matre Diuo Francisco, eiusque religiosæ familiæ dicatur.*

TE puerum ipsa parens, quem senserat esse gigantẽ
Francisco, & superis relligiosa vouet.

Paruu-

Paruulus haud tenuis; fuluum mox cingis amictum;
Mirè! sub cineres tum latuere niues!
Texit at in puero cinis ille niuesque, facesque;
Nix candore, puer cælicus ignis eras.

98 Idem grandior, & Magister interrogatus à D. Thoma Aquinate: vnde disceret, pro libris Christum in Cruce ostendit.

CVncta sap's; quæ sacra volumina consulis? astra
Credo Magistrorum suppeditasse vices.
At mihi pro libris doctorem ostendis Iesum;
Quàm bene pro cunctis sufficit iste liber!
Vulnerum adoratas tomus explicat iste lituras,
Quales ò sensus quæque litura docet!
Perge audax; alij sexcenta volumina voluant,
Qui sapit hoc vnum, cætera desipiat.

99 Idem à Gregorio X. Cardinalis, & Episcopus Albanensis creatur.

A Cinere ad flammas ostri iam, diue, vocaris;
Hinc tibi præcingit coccina vitta caput.
Præsul item longam decus ingens accipis Albam,
Quæ tamen est meritis amplior aucta tuis.
Macte gigas vectus iam relligionis in Axem,
Sanctior Alcides rexeris inde polum.
In te creuit honor, quem purpura tradidit, ostro
Quis credat cinerem conciliasse decus?

Æmp-

100 *Aemulatio in scribendo vtilissima.*

NObile certamen! calamis pugnatur, & arma
Sanguinis eliciunt ore rubente notas.
Pro morte ingenium vincens obliuia vitam
Donat, & innocuo vulnere corda ciet.
Vel damnis crescit, dum vincitur æmula virtus,
Grandius vt debent ignibus æra decus:
Ergo qualis erit tanto in certamine palma?
Sique iuuat vinci, vincere quid faciet?

101 *Ad fluuium Tybrim.*

DVm Tybris exūdas, quid murmurat vnda fusur
Anne Vrbis queritur fluctibus excidium r (ro?
Scilicet augustos retulit quæ Roma triumphos,
Vrna sibi, & bustum contumulata iacet.
Tu tamen amne fluis, ceciderunt vrbis honores;
Vrbs ruit; in lacrymas vos superestis aquæ.

102. *In scelus hominum nunquam felix, nunquam lætum.*

P[illegible] mortales lentum contemnere Numen,
Quando impunitum cernitis ire scelus.
Quamuis innocuos percellant fulmina Montes,
Crimineque incolumi vel sacra templa ruunt.
Digna Deo intentos vindicta laborat in arcus,
Iamque reus vindex criminis ipse sui est.
Hinc animi atra dies, scelerumq; in pectore diræ;
Qui genitis gremio tartara, lætus erit?

Ad

103 *Ad Beatissimam Virginem Mariam, dum abijt in montana cum festinatione.*

DIua petis montes, te deuia vasta fatigant?
Verus amor duras non timet ire vias.
Nonne paues? rapidus cælo te cancer aduret,
Sed mulcent æstum, quas geris ipsa, faces.
Sola fugis? precor ò me tolle per auia tecum:
Sed vehis ipsa Deum; hinc cælica turba comes.
Sole tuo nec dum natis fers munera lucis;
Me trahe; non expers nox mea lucis erit.

104 *Gratiarum Actio post logicam disputationem.*

HIc rationis inops vel de ratione loqutus
Sum, nuper supplex, post rata vota reus.
Excipite hos tenues, fastidia plurima, lusus,
Ni charites vester conciliasset amor.
Sentio me vinctum, tantum hinc debere professus.
Desperem vt grates reddere posse pares.
Ergo mori ingratus cogar, quæ gloria vestra est;
Sed certus vobis viuere, gratus ero.

105 *Diua Maria Magdalena moriens Christo Domino desponsatur.*

SVrge, age, sponsa subi thalamum nuptura Tonanti;
Magdala, quid cessas? quem cupis, ipse vocat.
Astra

Aſtra vocant lacrymas compenſatura fluentes;
Proh quanto vberius hinc tibi nectar erit!
Pronuba mors thalamis, eadem vel te inſerat aſtris;
Vita fuit luctus; quid niſi dulce mori?
Lucis inocciduæ ſponſi tibi ſerta parantur;
Deuinctus memor eſt crinibus ille tuis.
Quam tibi legiſti quondam procul æthere partem,
Hac ſuper Aſtra frui pleniùs ille dabit.

106 *Eiuſdem D. Mariæ Magdalenæ imago exactiſsima, vbi feruet, & plorat.*

MAgdala ſic feruet vel picta, vt abiret in ignes,
Ni viui fletùs mergeret vnda faces.

107 *Ad Amicum, qui Romà trans-Tybrim ſe recipiebat.*

DImidium noſtræ properat trans Tybrida vitæ:
Ferreus eſt ſolà quiſquis in vrbe ſedet.
Diripimur, partemque animæ ſectamur, vt olim
Pro ſocio, Theſeu, diceris iſſe ſtygem.
Alphæum vt quondam mirata eſt Græcia flumen
Ardere inter aquas, teq., Arethuſa, ſequi.
Nullo iſthuc vel ponte ſequar, mihi parcere norint,
Quæ miſerantur aquæ, queis neque parcit amor.

108 *Ad Amicum Philosophum, & Poëtam.*

GRande sophos dudũ, & quidquid natura laborat,
Gratulor, vt quæras, quodque Stagira docet.
Macte animis; dulce est sectari semina veri
Hac luce, ingenio digna theatra tuo.
Sed precor ò, sacræ doleant ne forte sorores,
Sæpe fides tangas, te quoque Apollo monet;
Te docet ista vices rerum, te tempora Pallas;
Temporis at musæ fallere posse vices.

109 *Detestatio humanæ imbecillitatis ad peccandum procliuis, & christianum votum.*


PRoh quãtũ volucres inter malecauta colũba est,
Bellua nec damnis docta cauere suis!
In turri hæc nam nidificat lætissima, quamuis
Chara sibi auferri pignora adulta videt.
Ast homines inter quanto dementior est, qui
Sæpe voluptatum blanda venena bibit?
Iste ego sum: gemui quamuis mea crimina, demens
Nil metuo in vetitum sæpe redire nefas.
Fac, Deus, ò uerus me criminis occupet horror;
Quàm leuiùs labi, da mihi malle mori.

Ad

110 *Ad Christum Dominum Cruci affixum floribus, & rosis coronatum.*

QVā bene, noster Amor, redimit tibi tēpora sertis
  Christiadum pietas, tempora digna rosis!
Et placet, & video; sed quod videoque, placet que,
  Admonet; Huic capiti serta fuere vepres.
Num sic ornari patere, vt sibi redditus orbis
  Ver recolat, spinæ quod peperere tuæ?
Oh ne delicia stantas per crimina perdam,
  Da, figam vepribus corda dolendo tuis!
Ecquis enim speret nullo certamine regnum,
  Cuius adoratum sic diadema grauat?





IO: BAPTISTÆ VGOLINI

EPIGRAMMATVM

LIB. IV.

Ad Patrem admodum Reuerendum Io: Laurentiũ Luchesinum è Soc. Iesu, & in Romano Collegio emeritissimum Rhetorices magistrum.

O Cui vel nomen fecit Parnassia Laurus,
Auspicium quid in hac Arte futurus eras:
Cuius iam pridem tot carmina Mundus adorat,
Queis tam Res Pindi publica diues ouat:
Dogmata qui eloquij tradis tam scita magister,
Arbiter arbitrijs, vt puer esse queat;
Si tibi quid superat stu lijs grauioribus, oro,
Sublimes sensus exue, pone sales.
Hoc lege nugarum: Siquę hæc damnaueris igni,
Gaudebunt tanto iudice iussa mori.



Dic

1 *Dies Cinerum post Bacchanalia.*

CEfferunt lusus, extremaq. gaudia, luctus
Occupat; in Cineres desinit omne iubar.
Non vlla in terris est vitæ maior imago,
Quàm qui solemnes præteriere dies.
Omnia ludus erant, velut ipsum est viuere ludus;
Dissoluit ludum mane sequente cinis.
Addiscat quicunq. bonis sub sole superbit,
E fumo, & lusu mox Cinis orbis erit.

2 *Diligite inimicos vestros.*

DVra nimis, quæ lex inimicos mandat amari,
Fertur, inhumanum cor fit, amare negat.
Dura foret nimiùm, si lex odisse iuberet;
Est hic audaci pectore dignus amor.
Hunc Elemēta docent, probat hūc concordia discors
Mundi (prodigijs!) hic amat ignis aquas.
Hic compenset amor quidquid peccamus amando;
Anne malum? hoc facit, hoc imperat ipse Deus.

3 *De Cælo benefico etiam inter turbines, & inter fulmina*
Plin. lib. 37. c. 9.

VTilis est terræ præceps iniuria Cæli,
Quæ fæcundatur, dum pluit, atque tonat.
Ergo quis referat ridentis munera Olympi,
Si prosunt nobis illius vsque minæ?
Ecquis non adamet gemmantia sydera, & orbes,
Si nimbis Cælum, turbinibusque iuuat?

Ful-

Fulmen vbi cecidit, detecta Ceraunia gemma est.
Quid vis? Thesauros fulmina & ipsa ferunt.

4 *Cum serò esset erat Nauis in mari, & Iesus solus in terra, nauis autem &c.*

SAeuit hyems pelago, insurgūt aquilone procellæ,
Et iam, Petre, tuam deuorat vnda ratem.
Ipse autem Dominus, cui ventus, & æquora parent,
Segnior è terris tanta pericla videt.
Quid Piscator agas? pelago queis viribus obstes?
Nox tegit, at monstrant fulmina crebra luem.
Vna iubet propior sperare aurora salutem:
Restituunt Petrum Gallus & orta dies.

5 *De Vipera, & quomodo tale genus propagetur.*

VT fiat genitrix, interficit ore maritum
Vipera; sic pœnas gignere monstra luit.
At proles nascens discerpit viscera matris:
Tam lethale nefas est peperisse luem.
Progenies infausta nimis, quæ morte parentum
Exoritur! Scelerum sic iuuat esse patrem.

6 *Viator depictus in fonte rustico bibens describitur.*

HErboso cernis depictum in margine fontem;
Obsequio vt liquidas herba veretur aquas!
Hic proiectus humi bibit aridus ore viator;
Expressam dicas arte, colore sitim,

Pen-

Pensetur frontis sudore argenteus humor,
Ni pulnis teneat; sic viget ore labor.
Viuere crede oculis: si vis audire loquentem,
Expecta: Vt biberit, tum queat vsque loqui.

7 *Ad Christum Dominum Columnæ alligatum.*

AD saxum te vincla tenent Heroa reuinctum,
Teque flagellorum grandine turbo petit.
Vulnera vulneribus feriuntur, & ictibus aër
Ingemit, effuso strata cruore natant.
Marmore credaris iam durior ipse terendo;
Saxis horridior te mala-turba ferit.
Heu quanto redimis damnatum carius Orbem,
Quem non iam Verbo, sed patiendo cieas!

8 *Spinea Christi Domini Corona in hominum Christianorum luxum exprobratio.*

CIngite mortales victrici tempora lauro,
Et bene dispositis addite serta comis.
Vepribus in pœnam redimitur tempora Numen;
Non aliter tellus dat diadema Deo.
Flectuntur sentes. & acutà cuspide iunci,
Vt dolor immensus, ludibriumq. foret.
Oh si quisque suos reputet per crimina sensus,
Quàm totidem hic vepres sentiet esse suos!

Die 9 Aprilis anno Dni 1714

9 *Ecce Homo.*

COeli oculi vigiles, superumq. exercitus ales,
Huc agite, hic solem cernite vtrisq. iubar.
Quàm iacet exanimis, quantum mutatus ab illo est;
Qui decus, ætherei risus & orbis erat!
Palluerat spoliis pridem mortalibus; at nunc
Non hominem agnoscam, ni referatur, Homo est.
Vulneribus cerno hic hominem latitare Tonantem;
Talem fecit amor, perdidit impietas.
Oh talem reputa, quoties te accenderit ardor
Peccandi, & melior corda subibit amor.

10 *Christus Dominus in Cruce exclamat, SITIO.*

QVi iubet irriguos lacrymari sydera rores,
Quiq. dat ambrosiam collibus, ille sitit:
Ille sitit, date fontis aquas, date nectaris vndas,
O superi, celeres fundite roris opes.
Sed fugit heu latices! nostram sitit ille salutem,
Mortales, viuas vndique fundit aquas.
Si volumus diu restinguere pectoris æstus,
Ferueat ò nostro mutua corde sitis.

11 *Angeli pacis amare flebant.*

ALigeri, ceu fama refert, fleuistis Amores
Aligeri Proceres emoriente Deo.
Luctibus ipse suis fleuit Sol mersus in vmbris,
Inferias lacrymis pallida luna tulit.

Ter-

Terra tremens luxit, disrupto marmore rupes
  Fleuere, ac Pontus lacryma totus erat.
Dignus ego æternis lacrymarier ignibus Orci
  Quin fleo? franguntur marmora, corda rigent.

12 *Proditor Iudas se ipsum interimit.*

CVr manibus sese ipse suis suspendit Iudas?
  Non poterat dextrà deteriore mori.

13 *Indus flos, vulgò Granadilla.*

NObile delicium! vernant in flore dolores;
  Fallor, an hunc facià cuspide pinxit Amor?
Frondibus in medijs mortis monumenta cruentæ
  Horrescunt claui, spinea serta rigent.
Cætera nec desunt, populos velut instruat Indos
  Flos tener, inde sudes, lancea, flagra vigent.
Sic natura Parens rebus signare laborat,
  Quidquid homo ingratus scribere corde negat.

14 *D. quidam Diaconus Martyr, dum Sabbato sancto Alleluia intonat, à barbaro sagittà iugulatur.*

DVm modulatur iò, rediuiuo Rege, triumphum
  Musicus, & morti rapta trophæa canit;
En mors atra volans, erebo impellente sagittam,
  Incidit in guttur, barbara, vocis iter.
Ille cadit, moriturq; canens; vox murmurat auris,
  Ceu neget in sacro carmine velle mori.

Sic

Sic abit ad superos; chorus illi iungitur ales,
Vt canat æternum, quod fera terra vetat.
Hinc sapere addiscas; ni coniungantur Olympo
Gaudia, nil terris integritatis habent.

15 *Flos Heliotropium ad Crucifixi Domini pedes.*

SVera sequi solem Clytie flos, germen amoris,
Dedidicit cursus hic benecaura suos.
Vixit amans solem, tanto se vouit amori,
Obtutu nitens illius ire vias.
Ast vbi veracem morienti lumine Solem
Inuenit, consors maluit esse necis.
Numinis ad plantas se, victima, sistit amantem:
Disce cor humanum hic, ne moriare, mori.

16 *Surge aquilo, veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Cantic. 4.

Amantis Sponsæ votum.

FLoribus astrorum pubescunt æmula in horto
Sydera; vernus honor paruula rura beat.
Irruat huc boreas, maceretque ea germina, & auster
Perflet opes; moriens quàm redolebit humus!
Spiret adorato Panchæi germine veris
Aura, meus circum gratior hortus erit.
Purius ignitis micat è fornacibus aurum,
Et lapides inter dulciùs vnda gemit.
Si tantùm prodest, pretiosa iniuria cordi est,
Non..met hic Zephyros hortulus, auster ades.

17 *In superbum quendam auitæ nobilitatis iactatorem. Quod ex solâ virtute nobilitas.*

NObilitas homini verà ex virtute coruscat;
Filius hinc terræ nobilis esse queat.
Quid mihi commemoras maiorum stemmata, si tu
Nil dignum tali nomine in orbe geris?
Si genere effulges, alienà merce superbis:
Per te quidquid ages, hoc rear esse tuum.
Quin te degenerem timeam, nisi mascula virtus
Te Patrum factis indicet esse parem?

18 *Simulacrum diuinæ Genitricis extinctum Deum filium sustinentis, in Diui Petri, Bonarotæ opus.*

SCalpra mori vitæ hic dederunt, & viuere morti
In saxis: Cælo dignus vterque labor.
Virgo Deum extinctum mater pia sustinet vlnis,
Vt doleat, matrem viuere malle putes.
Aggemere in saxo audires, lacrymasq. videres,
Sed lugere nequit saxeus ipse dolor.
Cætera morte rigent, materq. simillima nato;
Altera in alterius funere tota iacet.
Cor disce à saxis tantos animare dolores,
Vel te animet, quod in hoc marmore viuit, opus.

Ve-

19 *Vera audacia, & virtus est seipsum cum vitijs vincere.*

DIsce timere nefas quicumque pericula spernis,
Qui corde intrepido vincere monstra vales.
Hic fuga dat palmas, & habet victor a laudem,
Dum das terga malis, dum scelus omne fugis.
Orbem vicerunt, at non sua crimina Reges;
Qui domat has furias, grandior esse potest.
Si Rex ipse tui vitium, & te noueris audax
Vincere, Alexandro, ac Hercule maior eris.

20 *Ad Iuuenem quendam noxia Guarini carmina legentem.*

O Qui lasciuos percurris, carmina, lusus,
Perq. oculos periens aure venena bibis;
Desine delicium placidæ sirenis amare;
Fata parit monstrum hoc, dum tibi dulce canit.
Sic molles inter cantus moriuntur olores;
Sardorum in medijs risibus herba necat.
Vnum disce isthinc (atq, est certissima virtus)
Linquere, si nimium, quæ placuere, nocent.

21 *In quendam pauperem nequam, & superbum are alieno grauatum, & nihil soluentem ipsi auctori.*

NObilitate tumens, ac fuco despicis omnes,
Nobile at ista domus nil nisi crimen habet.

Qualis eques veteres atauos ma'ecaute renarras,
Cerno vnum in toto vix grege causidicum.
Tanquam Cræsus opes iactas, seu Tullus, & Ancus;
Te talem iratus creditor ecce negat.
Vnus ego hic te ditem, equitemq., virumq. fatebor;
Si modò, quæ debes, paucula reddideris.

22 *Simulacrum hebreæ Matris, & paruuli filij, in quem agitante fame inuehitur occisura.*

STat iurata Parens per vulnera perdere prolem,
Saxea sit quamuis, spirat ab ore furor.
Horror inest oculis, macies, languorq. genarum
Esurit, & referunt marmora viua famem.
Nequidquam amplexu gnatus reuocare parentem
Nititur; affectus dedocet atra fames.
Artis opus! viuens potuit mitescere mater,
Saxea sed nunquam hic flectier ira potest.

23 *D. Philippi Nerij pectus ad Amoris diuini flammas ruptis costulis dilatatum.*

VIuit, an effractis diducto pectore costis
Sæpius addidicit corde abeunte mori?
An sibi protraxit Nerius præcordia, Numen
Vt caperent; corque hoc regia plena Deo est?
Viuit: anhelantis vitam suspiria cordis
Testantur; gremio nil nisi viuit amor.
Fallimur; Interijt Nerius: suffecit amorem
Pro vità æthereum cor, animatq. Deus.

Ergo

Ergò & quòd viuas, & quòd moriare, triumphat
Tantus amor, Neri, spirat vtrumque Deum.

24 *De Sanctissimi Spiritus aduentu.*

DVm furit æstus agris, pandens sua viscera tellus
Supplicis in morem vere abeunte sitit.
Tempestas pretiosa polo ruit igneus imber,
Imber, an exurens pectora in igne Deus?
Fallimur, an nostrum hæc incendere gestiat orbem
Flamma vorax, tellus conflagret ipsa rogus?
Non cremat ignis, alit, non perdit, rore maritat
Hæc noua vis pluuiæ, flammaq. plena Deo.
O vtinam sitiens tales humus ebibat vndas,
Cordis humus! præstet viuere, an igne mori?

25 *Diui Ioannis Baptistæ nascentis prodigium.*

PRodigiose Puer! Vitæ vix ederis auræ,
Cum tibi prodigium est Numinis aura comes.
Soluitur in voces sen oris lingua parentis,
Cui prius eloquij perditus vsus erat;
Soluitur indictum promens tibi nomen Olympo;
Tantulus es, superis tantaque cura tui est.
Quid mirer? Diui vox maxima, nascere, Verbi;
Prodigium ad voces lux tibi prima fuit.

26 *Ad Beatissimam Virginem Mariam sacratissimi Rosarij Reginam.*

QVidquid habet tellus, vile est, quod pòtus & aër,
Regina ò superum, quod tibi serta ferat.

 Sy-

Sydera terrarum marcent in gramine flores,
Exiguum est gemmis,& sine luce iubar.
Caliget Solis, te si minùs induat, aurum,
Sydera vix fulgent luminis vmbra tui.
Quid non audet amor? Suspiria vertere cordis
Nititur in sertum, dum tibi vota parat.
Ne renue obsequium,& vel sordida corda precantũ,
Virgo, immortales iusseris esse rosas.

27 *In hominem diuitem, & auarum.*

QVid tibi diuitias, quid cogere profuit aurum,
Si sis pauperior, semper auarus eges?
Ecquid habere iuuat, queis parcis? Fusiùs vndas
Hauris, vt caleas feruidiore siti?
Irus erit minùs ipse miser, quàm Cræsus auarus,
Si saturare famem hic abnuit, ille nequit.
Stulte furis, furiasque tuas quàm rideat hæres;
Cum, quæ tu demens congeris, ille vorct?

28 *Ad Patrem admodum Reu. Augustinum Macedo post funebrem orationem ab eo habitam Reuerendissimo Paulo Luchino ex Generali Augustiniano.*

PRoh quãtum admiror genus, Augustine, dolendi
Funera, quæ Orator deliciosa facis!
Luchini ad tumulum quereris, mortiq. ruborem
Ferres, ni magis hæc aspide surda foret.
Eloquium tam dulce tibi est, vt ferrea quondam
Ingenio fiant gemmea tela tuo.

Quis

Quis timeat mortem, vel quis non prouocet vltro?
Te orator· nihil, quod timeatur, habet.
Viue diu; tibi fila trahant sic aurea Parcæ,
Qui tantis mulces funera delicijs.

29 Fons amænus in regio Atrio describitur.

ARgenti liquidum thesaurum ostentat in vndis
Fons hic, Regalem par decorare domum.
Cerne: sitire oculos saliens simul edocet vnda,
Dulcè strepens aures lympha sitire docet.
Commendant fontem spirantia marmore signa;
Viuit opus; sed dum murmurat vnda, silent.
Flebilis heu nimiùm, nimiùm vel dura voluptas!
Lympha refert lacrymas, marmora muta rigent.

30 De sacris Niuibus Romæ in Exquilio Nonis Augusti.

AEtna vomēs flāmas, niuis exhibet Aetna rigores;
Hinc dicta est vati prodigiosa fides.
Nix tegit Exquilias, quamuis natura repugnet,
Dum Canis & Nemeæ terror hiulcat humum.
Nix ætnæa nihil signat vel proxima flammis,
Templa sed hæc Mariæ hîc ædificanda notat.
Contemplator, ades quisquis, mirare; sed illam
Dicito naturæ, hanc Virginis esse niuem.

31 *De iisdem Niuibus*
Distichon.

NIx tegit Exquilium, licet ardeat æstibus orbis;
Virginis obsequio est hæc genialis hyems.

32 *Aliud.*

PVrpureum nix vellus erat, cum incanduit ostrum
Virginis ad genium, vel rubuere niues.

33 *Aliud.*

NObile delicium! Vernant ardore rigores;
His, reor, est niuibus Virginis ingenium.

34 *Aliud.*

VIncere qui possit nix spicula sæua Leonis?
Ast ea nix diuæ est Virginis; ergo potest.

35 *Aliud.*

CErtum erat hic fore Domini cunabula Regis;
Nati ergo, & Matris nix ea candor erat.

Aliud.

36 *Aliud.*

STellarum ros ille fuit, nix gemmeus humor,
Concha fuit Virgo, Sol fuit ipse Deus.

37 *Aliud.*

EXquiliam igne niuem non ipsa Canicula soluit,
Candorem Diuæ an cerberus ipse latret?

38 *Aliud.*

NE ninibus stupeas incendia parcere: mirum est;
Sed niue candidior Virgo, Parensq. iubet.

39 *Aliud.*

PRo niue in obsequium defluxit lacteus imber,
Hoc Templum ad superos semita lactis erit.

40 *Mortales diuitiæ humano cordi pacem veram non conciliant.*

INter opes Cræsi, flauentia munera Gangis,
Delicias inter non datur vlla quies.
Vt pacem obtineas, cordis componere bellum
Cura sit, amentes spemque, metumque doma.
Sic tibi sic liceat thesauros vincere inanes:
Vt discas vti, spernere noris opes.

41 *Rosa extemporanea ad N. N.*

DVm desæuit agris, vritq. Canicula messes,
Acrior vnde leo sole premente furit.
Euincens flammas augusta Semiramis horti
Nascitur, & nobis paruula rura beat.
Pallidior tamen emoritur, tamen vritur æstu,
Quæq. audax nasci, nunc sine rore perit.
Excipe, nanque animam siue exhalabit in ora
Hæc tibi, seu viuet vultu animata tuo.

42 *D. Martyris Laurentij duplex incendium.*

VRitur, indomitas nec sentit corpore flammas;
Talis iò facibus corda præurit Amor.
Diuus Amor nullos patitur sentire calores;
Hic, licet vrantur corpora, corda beat.
Christiadum quàm diua nitent hæc lumina Cælo!
Isthæc Phœbeæ lampadis instar erunt.
Oh sacer ignis Amor nobis si pectus adurat!
Cætera dicemus roris habere vices.

43 *Quænam sit in terris vera Sapientia.*

HOc sapere in terris nihil est, nisi spectet Olympū:
Quisquis pro Cælo hìc desipit, ille sapit.

Ro-

44 *Rosæ Damascenæ ad Amicum Poëtam eruditissimum dono mittuntur.*

SOlis ad inuidiam peregrina rosaria carpens
Parua tuæ musæ munera mitto rosas.
Virtuti seruit quidquid natura laborat,
Sunt tamen ingenio quæque minora tuo.
Ver erat hoc Syriæ, fortunabatque Damascum;
Victa Vrbs hæc Latio parua tributa tulit.
Vtilibus prosunt succis, medicantur, odoram
Exhalant animam; tam dare iuuit opem.
Nunc tibi serta ferant; meliores carpere in vsus,
Si quis amet florum germina, disperеam.

45 *D. Alexij sensus in fugâ gloriosâ.*

QVò, crudelis Alexi, fugis? quid spernis amorem?
Me noua flamma vocat, me nouus vrit amor.
Deperit ipsa parens gnatum, genitorq. requirit:
Hinc fugio, quod me deperiere nimis.
Barbare, num possis morituram linquere sponsam?
Coniugium melius, nobiliusque sequar.
Diuitias fugies? Cælum est opulentius istis;
An Romam? Ciues nam finit ista mori.
Patria te reuocet, quem non tenuere parentes,
Sit Numen Genitor, sit mihi Roma Polus.

46 *De D. Symphorosa Martyre cum septem filijs.*

EN Cæli noua pompa beat; dux fæmina facti est,
Symphorosa, decus cui peperisse fuit.
Hæc septem peperit faustâ propagine fœtus;
O toties fælix germine, prole parens!
Quin & bis peperit prolem hanc terrisque, Deoque,
Eloquio Mater cui dat habere fidem.
Plus tamen ipsa tulit soboli, dum prima Tonanti
Occumbens gnatos edocet illa mori.

47 *Ad Dominum Io: Lottum de diuino Epigrammate ab ipso ad Galliarum Regem conualescentem perscripto.*

VT Clotho Gallis Regem seruaret, Apollo
Sat tuus vnus erat, sat tua, Lotte, chelys.
Vitales Erebus cantus præsensit ab vmbris,
Et timuit questus, Orphæa teque nouum.
Desijt eripere hunc, quem vel tibi funere raptum
Redderet; augustas tam pauet ille fides!
Pollice sic niueo ducant tibi sæcula Parcæ,
Eximis vt fato, quos canis ipse, viros.

48 *In quendam inuidum.*

QVidquid ago, quod sũq. simul, malè liuidus odit,
Quamuis sim tenuis, rumpitur inuidiâ.

Car-

Carmina si pango mutis, & Apolline nullo,
Inuidiosa putat, dum nihil ipse sapit.
Nunc pallet quod nostra domus florescat amicis,
Dum numero, & plausu paruula testa strepunt.
Pendens infælix animâ obluctante peribit,
Si me fælicem sciuerit; ergo sciat.

59 *De D. Augustino, qui ex Aphrica ortum habuit.*

QVid paris insuetũ, iam nobilis Aphrica mõstris?
Diluet inflictas filius iste notas.
Atqui Augustinum quis nobile dicere monstrum
Posse vetet? monstrum pluribus ille fuit.
Bis Monice hunc peperit Genitrix terrisque, Deoq;
Debuit Alcidem sic habuisse Fides.
Malleus hæreseos fit enim, fideiq. Magister,
Qui prius hæreticis præda, triumphus erat.
Phænicem ingenij tantum non protulit ætas,
Ex capite hoc ortum nam sacra Pallas habet.
Ergo vbi virtutum tibi monstrum hoc debuit orbis,
Aphrica, quid poteras edere nobilius?

50 *Ad Iuuenem quendam Poëtam Italum vt latinè scribat.*

HVc Puer Hetruscas olim modulate myricas,
Te latium ad carmen Tybridis vnda vocat.
Quanquam etenim lauris augustus inhorreat Arnus,
Miscenda, vt pariat gratius vmbra iubar.
Myncius huc misit diuinum carmine cycnum,
Vnde per ora virûm Mantua tanta sonat.
Vnus viuentum est Tyberis Mæander olorum;
Ni doctos latices hunc bibis, anser eris.

In

51 *In Amicum, qui dignitatis honore auctus ab amicis superbus defecerat.*

NVnquã vera fides: Pyladem iam prodet Orestes.
 Fallax Pyrithous Thesea destituet.
Flectere contendi Superos tibi fausta precatus;
 Irasci votis cogor, amice, meis.
Conciliatus honor subitò corrupit amorem;
 Et tamen hinc nihilo grandior vmbra tua est.
Non modicum hoc crimen: sic te appellamus amici;
 Debet honor nobis te dare, qualis eras.
Numen amicitiæ sic te conuicerit; audi;
 Ante habitum hoc munus, munere dignus eras.

52 *In Beatissimæ Virginis Mariæ Natiuitate plausus.*

PRodigium felix hilarat natalibus orbem:
 Da Cunis tellus lilia, funde rosas.
Nascitur è sterili Virgo paritura, Deusque.
 Sol Deus hanc Charitum lumine, dote beat.
Plaude hominũ genus; hæc Cœlo te reddet, & astris:
 Pupula grata Deo est, mox trahet axe Deum.
Hac melior non vlla dies; augustiùs olim
 Hæc Aurora suum proferet vna diem.

Ad

52 *Ad eandem beatissimam pupulam enatam, næniolа, & votum.*

VIx enata beas nostras vagitibus auras,
Cum sperare iubes sydera, regna, Deum.
Te sine terra labans, per te rediuiua salutem
Discit; adoratas tam geris ipsa vices.
Excipe Næniolam; canet hanc sibi redditus orbis
Per te vnam, quando tantula tanta potes:
Excipe; sed terris oh flecte in vota Tonantem;
Iam tuus est; niuibus nil neget ipse tuis.

54 *Ad Dominum Ioannem Lottum Poëtam eximium, vt sua carmina in lucem edat.*

EDere quid cessas diu ni carminis Aurum,
Hæc vt musarum ferrea sæcla bees?
Carminibus latijs, & mascula robora reddis,
Et solidum misces ex adamante iubar.
Quin etiam Hetruscas vertit tua musa myricas
In cædros lybani, grande, piumque melos.
Hinc decus Ausoniæ antiquum renouasse poësis
(Numinis instar agens) diceris, atque nouum.
Ede opus: Inuidia est duplex damnare tenebris
Tot rerum lucem, quot canis, atque Tuam.

In

55 *In Magni Alexandri Macedonis mortem.*

POst domitos Asiæ populos, & clade subactas
Indorum gentes, qua ferus arma tulit;
Magnus Alexander tuus, inclyta Græcia, Mauors,
Proditus annorum flore venena bibit.
Quique etiam Oceani tumidas euicerat vndas,
E cratere haurit flebile naufragium.
Heu nihil humanæ fas quenquam credere sorti!
Ecce Iouis Macedo filius ipse perit.

56 *In eiusdem, vel cuiusque Regis mortem.*

NIl mors surda decus, nec opes, nec regna veretur;
Sceptra labant, squalet purpura, Rex moritur.

57 *Vir bonus, & eximius quando, & quomodo moriatur.*

VIr probus emoritur terris, cum dignior æuo
Grandius hic aliquid, nobiliusq. gerit.
An quia dignus humo non est, succedere Cælo
Iussus obit? tellus quod dolet, astra beat?
Anne sui desiderium vt magis orbe relinquat,
Charior vt fieret, debuit inde rapi?
Desinit ille mori, haud moritur, qui nascitur Astris;
Nemo immortalis, ni moreretur, erat.

In-

58 *Inuidia ipsi inuido grande supplicium est.*

INuidus infælix alienis vritur vndis,
Si calor est; boreæ in flatibus igne riget.
Sole sub ardenti patitur miser ipse tenebras,
Quando alios cernit luce, dieque frui.
Pace fouente orbem, sentit sub pectore bellum;
Namq. Orbis mortes, & mala cuncta sitit.
Exitialis apes in se sibi mella venenis
Condit, communi è melle aconita bibit.

59 *Mala conscientia bona omnia, delicias que inficit.*

SE furijs agitat mens impia: fallitur ergo
Qui fortunatum dictitat esse scelus.

60 *D. Franciscum Assisinatem ægrotantem Citharedus cælestis consolatur.*

FEbre calens, facibusq. sacri combustus amoris
Ferbuit Assisinas certus vtrinque mori.
Languidus optauit fidium modulamina, & aures
Mulcere ad cantum, sed sibi nullus erat.
Afuit è cælo, si non crinitus Iopas,
Aliger omne potis conciliare melos.
Adfuit, & Citharam digitis pulsauit eburnam,
Elisium in terris ceu statui set amor.
Desine; delicijs languens heu occidet Heros,
Qui non consumptus febri, & amore fuit.

In

61 *In eiusdem sacra Stigmata Amor omnipotens.*

PRoh qualis, proh quantus amor tibi vulnera fecit,
Quæ, Francisce, vnus gesserat ipse Deus!
Crediderum telis armamentaria Cæli
Exhausta, vt peteret te arcifer ille ferox.
Esse Deo similem neq. dat vis summa Tonantis:
Talis es: En Christum vulnere, amore refers.
Oh amor omnipotens! quando permittit Iesus,
Illis, quos redamat, quod facere ipse negat.

62 *De ijsdem sacris D. Francisci Stigmatibus.*

FEruidus vt superos, Cælumq. in vota fatigat
Assisinas plenus pectora, corda Deo;
Ecce triumphali telo laceratur amoris,
Et Domini in morem vulnera quinque refert.
O felix amor æterno dignatus amore,
Quis gemmas plagis præferat vsque tuis?
Certè his distinctum victus formidat Auernus,
Debellatores dum pauet esse duos.

63 *Vir bonus quàm verè diues esse possit?*

E St probitas dilecta Deo, probitatis amator
Sic rerum Domino quisquis amicus erit.
At bona amicorum communia cuncta feruntur;
Diues ita in cunctis vir probus esse potest.

Ergo

Ergo quisquis amas ditescere, quid petis aurum,
Si cuncta in solo Numine habere potes?

64 *In quendam Cælium iucundissimæ infamiæ morbo laborantem.*

CÆlius æger erat, sed vis gratissima morbi,
Stultitiæ illicijs hunc hilarabat amor.
Palluit infælix Medico spondente medelam,
Sanarique timens, protinus interijt.

65 *In morte Illustriss. Dominæ Sextiliæ Pallottæ Sororis Eminentissimi Ioannis Baptistæ Card. Pallottæ.*

SExtiliæ ad tumulum, extinctæ virtutis ad vrnam
Flere iuuat: lacrymis Castalis vnda fluat.
Fœmineo hæc gessit sensus in corde viriles;
Hic didicit Cælo viuere plena Deo.
Reddita nunc superis, ceu phœnix, morte reuixit;
Vna vetat virtus funere posse mori.
Hos cape ad exunias flores, fletuq; madentes
Inferias; nostro non moriere sinu.
Candori nihil ipsa nocet mors: Te dedit astris;
Hic immortalis posthuma fama viget.

Ve-

66 *Vera virtus in ipsis inimicis amabilis est, apud Deum verò potentissima.*

QVis credat? Virtus inimico extorquet amorem;
In sese hic magnes ferrea corda trahit.
Orphea si iactat Rhodope, quòd flexerit Orcum,
Hoc domito Virtus astra, Deumq. capit.
Hanc cole, qui æternis vis cingere tempora lauris;
Tartara num timeas, si tibi palma Deus?

67 *Ad S. Michaëlem Archangelum Romanæ Vrbis, & Catholicæ Religionis Patronum eum sub Clemente IX. Creta oppugnabatur à Turcis.*

O Qui fulgentes deducis in arma phalanges,
Cui Draco, dux scelerum, victima ab axe ruit;
Vrbs tua te veros poscit tua Roma triumphos,
Cordis vbi Eumenides præ stygе bella cient.
Et dum Creta gemit Thracum sub milite, miles
Te sibi Christiadum sentiat esse ducem.
Fas itacum refouet terras Clementia, virtus
Bellica de Cælo muniat, ipse regas.

Ad

68 *Ad D. Hieronymum Ecclesiæ Doctorem, & sacrarum literarum expositorem.*

Quid tibi Christiadum, Hieronyme, debuit Orbis.
Cui scribens fueris relligionis Athlas?
Per te habet augustas leges, arcana Tonantis,
Quidquid per vates tradidit ille suos.
Nanque ex Hæbreis ambagibus ipse reuelas
Dogmata, quæ latio lumine aperta facis.
Accipit hinc clypeos Pietas, & fulmina in hostes,
Quæ sine te rudis, ac ægide inermis erat.
Oh ita Christiadas de Cælo protege, vt orbem
Quem sanctè instituis, fortiùs inde regas!

69 *In funere Domini Iosephi Ghislerij, qui erecto, & vberiùs dotato Collegio Ghislerio emoritur.*

Post vbi Palladios fouisti munere alumnos,
Occidis, æternos viuere digne dies.
Num deuincta tibi recolens tua dona Mineruа,
Vt sibi te iungat, te super astra vocat?
Ne quid vile geras, postquam immortale peractũ est
Hoc tibi, sic reputem te voluisse mori.

Alum-

70 *Alumni Collegij eundem alloquuntur. Alluditur ad Campum purpureum in eius stemmate gentilitio.*

HEu tibi purpureus quid pallet funere Campus,
Ghisleri? cur te mors inimica rapit?
Tolleris extremà moriens ætate, fatemur?
Flemus,quod te vix sensimus esse patrem.
Sponte tuam Patris flentes moreremur ad vrnam;
Viuimus, in nostro ne moriare sinu.

71 *Quàm bene cuique propria domus sit tutanda.*

SIt tibi tuta domus,quoties eieceris hostes;
Ast inter fraudes Arx malefida foret.
Quid si lethiferos gremio nutriueris angues?
Hic tua res agitur; *Sæuius* angue scelus.

72 *Ad Amicum, qui ex amænissimo libello nihil præter obscænitatem hauserat.*

FLorea serta tibi dederam: violaria fontem
Innocuum hæc biberant,alba ligustra niues.
Iuncta rosis inerant regales, lilia, flores,
Queis sibi nectareum mel fabricantur apes.
Væ misero, si exugis araneus inde venenum!
Quàm malè consulimus, cui medicina lues!

Heu

Heu tibi quid ſpondent commixta aconita cicutis,
Si tam ſyncero è melle venena bibis?

73 *Ad Amicum nauigaturum dehortatio.*

QVò fugis infidas iam certus abire per vndas?
Parce: procelloſis quàm malè credis aquis!
Dimidium noſtri tecum vehis; æquora noſtros
Hinc rapiunt vultus; corde, oculisq. ſequor.
Gratior inde mihi eſt pelagus, fit amabilis horror,
Vna mihi grauis eſt te leuis aura vocans.
Siſte ratem, moueant ſuſpiria noſtra procellas,
Quò repetas portum, lacryma turbet aquas.
Fallor; abi, faciles vndis vectantibus auras,
At citò mutandas, queis reuehare, precor.

74 *Virginis cuiuſdam fuga glorioſa, & innocenter cruenta.*

VIrgineas maculare niues aper improbus ardet,
Sed non imbelles erubuere niues.
Nobile certamen! ſequitur maleſuadus amator
Virginis attonitæ ſæua per arua gradum.
Illa fugit; volitare timor docet arduus, alas
Addit amatori feruidus ales amor.
Credideris prædam accipitri ceſſiſſe columbam,
Tam volat impurus, vix malè Virgo fugit.
Quò ruat infælix, quò ſe moritura receptet!
Daphnidis ex vero malit obire vices.
Irruit in vepres, faciemque, oculosque cruentat,
Vlta decus formæ, quod ſibi bella mouet.
Horruit inde procus, rubuitq. inuitus, at illa
Murice tincta ſuo fit roſa digna Deo.

In

75 *In quosdam milites transfugas, ducisq. desertores.*

NVm duce deserto vertistis terga rebelles,
Et mens est pedibus credere posse caput?
Nil pudet indecorem sine fama ducere vitam?
Non semel ille cadit, qui sine honore perit.
At mens certa duci fælicius ire sub vmbras;
Viuat honor, magis hac viuere parte cupit.

76 *Ad Dominum Raphaëlem Brancaleonium doctorali legum laurea insignitum, in stemma.*

QVàm dulci Raphael leges horrore maritas!
Fallor, an Astræam stemmate, corde refers?
Tes tibi cærulei metuendus ad vngue Leonis
Territat, alliciens at niue Campus obit.
Dulcis imago tua hæc; sæuo munimine legum
Horridus, ingenuo pectore corda capis.
Non vsquam melius tellurem Astræa reuiset;
Nam si horrore places, quantus amore trahes?
Quin pede summa tuo cum presseris astra Leonis,
(Quid mirer?) te vnum te sacra Virgo manet.

77 *Ad Illustrissimum Dominum Philippum de Rubeis, de principio Historiæ ab eo per quam egregiè conscriptæ.*

PEr somnum vidisse putem miracula rerum,
Ingenio, & calamo lumina parta tuo.
Dignum opus æthereo, series ea digna theatro!
Inuideo hoc tenebris tam geniale iubar.
Quin pergis, quò nostra bees hæc tempora? at ætas
Oderit impatiens, inuidiamq. paret.
Munera non vsquam meret aurea ferreus orbis;
Disceret oh meritis aureus esse tuis!

78 *Ad Diuum Ludouicum Beltrandum, dum sclopus, per quem ab impio petebatur, in Christi Cruci affixi effigiem commutatur.*

TE stygio, Beltrande, petit manus impia bombo,
Quo terra exercet fulminis atra vices.
Protinus hæc cedit moles in amabile telum,
Vnde tibi pendens è cruce viuit Amor.
Nobile portentum! docet hoc quibus exhibet armis
Corda tibi ex voto perfodienda sinus.
Discat Christiadum pietas penetrabile pectus
Præbere his iaculis, his, Ludouice, mori.

79 *De eodem, qui inter concionandum bis venenum sibi propinatum innoxiè haurit.*

DVm studet, eloquio populis dare lumina vitæ,
Suscitat in se odium, certa pericla necis.
Sæpius hinc Diuo propinauere venenum;
Nil tamen insonti nil nocet vlla lues.
Diluit æternæ qui balsama vera salutis,
Incolumem cunctis pestibus esse decet.
Quid paueat, superis qui militat, Astra tuendo?
Anne sinant clypeos Astra perire suos?

80 *In electione Eminentiss. Cardinalis Iulij Rospiliosij in Clementem IX. Summum Pontificem, qui statim vectigalia populis partim lenit, & panis pretium minuit; plausus, & gratulatio.*

IVlius exhausti vix attigit Orbis habenas,
Cum se Rectorem præstitit, atque Patrem.
Roma sibi hinc plaudit partim exonerata tributis,
Cui datur vberior, candidiorque Ceres.
Sic dum fundit opes Clementia, cogit amores,
Cordium vt hæc virtus imperat vna fibris.
Oh vincat Clemens regnando Nestoris annos,
Si subitò populis aurea sæcla facit!

81 *Ad Excellentiss. & Reuerendiss. D. Abb. Rospiliosum dum assumpto ad Pontificatum Clemente IX. patruo tandem expectatissimus Romam post diuturnam ægrotationem reuertitur.*

Expectate redis, dulcissima cura Tuorum,
Spes Vaticani culminis, Orbis amor.
Postquam se voluit pro te tua Roma pacisci,
Namque vbi languebas, exanimata metu est.
Flexit iò superos Pietas: iam redditus orbem
Cum Patruo fulcis firmiùs, atque beas.
Hinc vbi te Athlanti Alcidem coniungis, Olympus
Tutior en populis nectare, melle pluit.

82 *Ad eundem iam Eminentissimum Cardinalem ad rerum administrationem à Sanctissimo Patruo ascitum gratulatio, & plausus.*

AGgredere ò tandem dignas te principe curas,
Cui niti impatiens orbis anhelat Apex.
Iam voto gauisa suo te purpura cingit,
Accepisse magis, quàm dare certa decus.
En Patruus grauium partitur pondera rerum,
Tu capis, & simili robore firma tenes.
Fortior hinc terras refouet Clementia; metas
Hìc discit votis ponere Roma suis.

83 *Signum Tigridis marmore exactissimè in modum currentis expressæ.*

FAllimur, an Lybiæ sæuas hîc cernimus oras?
  Aphrica & hic monstris nobilitata tumet?
Sæuit sanguineis vt rictibus horrida tigris!
  Sit licet vsque lapis, territet ore viros.
Marmore fixa riget, rapidis tamen ocyor euris
  Credatur, si oculis congruat vlla fides.
Quin minus hoc mõstrum hyrcanis timeatur in oris,
  Ars facit horridius, mobiliusque lapis.

84 *Mors speculum. ex Tertulliano.*

ET cur mors speculũ, cum sit tam nigra, vocatur?
  Heu! qualis fuerit vir moriendo videt.

85 *Vera beneficentia per ingrati animi vitium non defatigatur.*

QVamuis ingratus compenset mella venenis,
  Et pro thure dato myrrhea probra ferat;
Non tamen ingenuus vir munera desinit Hermi
  Fundere, at egregias pergit obire vices.
Quis tamen, inquis, erit talis? Deus vnus in orbem
  Sic facit: an te instar Numinis esse pudet?

86 *Ad Eminentiss. Principem. Cardinalem Odescalchum post propugnatas theses philosophicas ad mentem Scoti, gratiarum actio. De gentilitio eius Leone.*

DOcta metum Aegyptus pinxit, dum parua leoni
Porrexit dextrà Virgo tremente dapes.
Muricis auspicio mea Pallas inepta Leoni
Obtulit hos lusus obsequiosa Tuo.
Si lucis quidquam Scoti ex ambagibus haustum est,
Purpuræ in obsequium iusserit iste Leo.

87 *Cupiditas humana inexplebilis simul, & ingrata est.*

OMnia dediscit, velut est ingrata cupido:
Despicit acceptum, qui meliora cupit.
Num satiatus erit, cui fusiùs Indus inundet?
Hinc magis efferuens quæret auarus opes.
Flebat Alexander medium cum ceperat Orbem
Non satur; heu fori siccine gratus erat?

88 *In hominem malignum alienis, & communibus omnium malis gaudentem.*

PLaude tibi optatis laceratur cladibus Orbis,
Christiadum in populos Thrax fera bella gerit,
Cognati rursus redeunt ad prælia Reges;
Vix Petri parcit sæua procella Rati.

Hæc mala sanguineis deplorant fletibus vrbes;
Excipis excidia hæc plausibus ipse tuis.
Num fera Thysiphone te his sensibus imbuit altrix?
Quin rear, ex te quid discat, & Orcus habet.

89 *Assidua mortis memoria innocentem, imo & felicem vitam reddit.*

Mors meditata docet potiorem ducere vitam;
Quin vitæ causam mors meditata parit.
Dignus eris vitâ, si contemplabere mortem;
Vitam contemnens viuere dignus eris.
Sic memores mortis rapiunt fugientibus annis
Ius: Ita viuentes mors iuuat vna viros.

90 *In Pictorem quendam malè pingentem.*

Zeuxis anum pinxit; mox cōtemplatus, & hærens
Risit ita, vt periens morte animarit opus.
Tu malè cum pingas, ne contemplare figuras,
Quas facis, aut horreus ne moriare, caue.

91 *Iulius Cæsar viso in Hispanijs Alexandri Magni simulacro generosâ tactus inuidiâ plorauit.*

Parce, quid indignis tibi fletibus ora madescunt,
Pellæi Iuuenis dum simulacra vides?

Inà

Inuidiosa tibi ne sit sors inclyta; factis
Vincere Alexandrum nam tibi lususerit.
Ipse prius Patriæ subiges virtutibus orbem,
Mox Patriæ victor clade tyrannus eris.
Funus Alexandri excipias, eris alter ab illo;
Ipse cades gladijs, ille aconita bibit.

92 *Extrema gaudia luctus occupat.*

Dic mihi, cur subiti funestant gaudia luctus?
Se mors delicijs nobilitare studet.
Cur latitant etiam medijs in floribus angues?
Hinc vt vbiq. scias mortis adesse locum.
Cur toties epulas mors inficit ipsa venenis?
Ne vitæ credas; vitæ alimenta necant.

93 *Veraces pœnitentiæ lacrymæ diuinæ indignationis fulmina extinguunt.*

Vberibus lacrymis franguntur Numinis iræ,
Cum qui peccauit pectore, corde dolet.
Quis lacrymare neget, referat si lacryma Cælum?
Sperat si fletus vincere posse Deum?

94 *Ad Eminentissimum Principem Flauium Cardinalem Chisium in Galliam legatum nauigaturum.*

Vade tuo fælix duce sydere, vade per vndas;
Parebit votis hæc Cynosura tuis.

Desine fluctiuagas pelagi timuisse procellas,
Auspicium Petri dum tua Nauis habet.
Omine tam fausto licet ipse feraris in altum;
Tutus eris nixus Montibus vsque tuis.
Flaminis instar erunt, quæ te pia vota sequentur:
Ni citiùs redeas, nos agitabit hyems.

95 *Vita humana calamitas præcipuè ab affectibus.*

OBruimur curis, abeunt sine lumine soles,
Insomnis nox est, irrequieta quies.
Lux eadem plus noctis habet plenissima mortis,
Nox ruit, vmbra oculos, cor premit atra dies.
Spes, dolor, ira, timor, permixta pudore voluptas,
Et vesanus amor, ceu mare, corda cient.
Pectore si tales posuere cubilia curæ,
Mirer, si longum est integra vita mori?

96 *Mors somnus, & requies.*

SI mors est somnus, requies, medicina malorum,
Cur non sanari optatur, & alta quies?

97 *Ad Excellentissimum Principem D.Io.Franciscum de Sancto Seuero per Iustitiam amabilissimum.*

TE Duce nutantes terras Astræa reuisit,
Per te, Francisce, hic aurea sæcla facit.

Quid

Quid Pietas, quà gentis amans redamaris? amanti
Principi adorator se vouet orbis amor.
Virgo tuis talem te fecit reddita terris:
Debes Astrææ, debet & illa tibi.

98 *In homines propriorum errorum amantes.*

XErsis amor quàm cæcus erat, dum fixus inhæsit
Arboris in trunco! mouerat vmbra faces.
Errores quicumque suos insanit amando,
Xerse magis dignus compede, fuste fuit.

99 *Bonum malo finitimum, vitium virtuti proximum.*

LIlia sæpe rosas prope sunt, sed proxima vtrisque
Sæpius vrtica est, iunctaq. spina ferit.
Stultus es, & dignus falli, si vepribus hæres:
Quid si virtuti prætuleris vitium?

100 *Amantium palmaris stultitia.*

SÆpe coëgit amor miseros dare colla capistro:
Sed mage stultus equo est, qui sibi colla ligat.

101 *Annibal in superandis Alpibus oculum amittit.*

EFferus obiectas dum traijcit Annibal Alpes,
Ferro naturam in rupibus ante domat:

Sic illum vlciscens ferit inclementia Cœli,
Horridior formà luscus vt inde foret.
Nil tamen abstitit, plagisq. furentior ardet,
Te Romam excidijs deuouet ipse suis.
Incipite Annibalem, bellumq. timere Quirites:
Esse sibi hoc oculis gratius ille docet.

102 *Puer quidam rosas legens spinis pungitur.*

DVm puer incautus formoso pollice carpit
Fronti auidas niueæ nectere serta rosas;
Se ferit in spinis, floresque, manumq. cruentat;
Hinc plorans lacrymis spargit vtrumque decus.
Dixeris has inter gemmas vernare cruorem,
Seu florum, atq. manus erubuisse niues.
Fertur Adonis ita interdum laceratus in hortis;
Sæpe eadem puero collacrymasse Venus.
Si ferit heu miseros innoxia sæpe voluptas,
Quid timeas, vbi pro melle venena bibes?

103 *Quidam venator dum in fonte bibit, à serpente mordetur, & occiditur.*

VEnator iuuenis vastas indagine syluas
Cinxerat exagitans vi, canibusq. feras.
Iam labor in riuos ibat, sitis arida fauces
Vlserat, hinc notas fontis adiuit aquas.
At vix fusus humi potat, cum luridus anguis
Repit, & incautum protinus ore necat.
Heu quàm prompta lues expectat vbique, rapitque
Innocuè & dantes vitæ alimenta viros!

Inunc

I nunc, & fontis confide salubribus vndis;
Hunc rea potantem mors aliunde vorat.

104 *Ad P. admodum R. Magistrum Hilarium Floridum Minorum Conuentualium D. Francisci concionatorem eloquentissimum, & ministrum Prouincialem in Prouincia Sanctissimæ Domus Lauretanæ.*

ELoquio priùs, & solidis virtutibus Orbem
Allicis; arbitrijs arbiter esse potes.
At postquam emerito Prouincia traditur, oh quæ
De Te, de factis inclyta fama volat!
Clementem, & iustum solers prudentia monstrat,
Hinc tibi in obsequio conciliatur amor.
Lauretana Tibi res debebatur; honoras
Virgineas lauros floribus ipse Tuis.
Per Te Francisci cineres in honore triumphant,
Incrementum ingens Ordinis ipse tui es.
Perge; triumphali procul hinc nos [illegible]
Te manet æternum gloria, palma, decus.

105 *Ad Beatissimam Virginem Mariam in Cœlum assumptam.*

VEnit iò tempus; superum Regina Tonantis
Mater adit Gnatum, celsior astra subit.
Non illam terris mors falce doloris ademit,
Pro morte eripuit Numinis plenus amor.

M 6 Ob-

Obsequio Aligerum subito rediuiua per auras
Tollitur æthereas; quàm speciosa micat!
Inde triumphales se vertere gaudet in arcus
Quisque globus; spheras hinc noua pompa beat.
Olli, regnatura veni, chorus accinit ales,
In Cælum cælo digna, Deoque veni.
Nos, pia, te sequimur votis; trahe corda, sequentur,
Si per te in Charites depluet ipse polus.

106 *Horologium ingeniosè, & piè in Crucifixi Domini simulacro ita fabrefactum, vt spinea eius corona horas indicet.*

QVale mihi inuentū hìc numerat cū tēpora vitā,
Quam Reparatoris spinea serta notant!
Mens mea, si noris Vitæ ditescere pœnis,
Quàm pretiosa mihi quælibet hora fluet!
Ast ego quì possem momentum perdere vitæ,
Vna sinu ex istis si mihi spina foret?
Aeternum vt mediter, me hic tēporis admonet orbis,
Vt redimam culpas flendo, Tonantis amor.
Ergo Deus, tantæ cui sunt mea tempora curæ,
Vt placeat pœnis hæc numerare tuis;
Da mihi, quod super, est ita ducere temporis horas,
Vt dimensorem te mea vita notet.

107 *Assidua mortis memoria nos docet mundum, & omnia vitæ bona aspernari.*

SPernit opes vitæ, quem pallida mortis imago,
Quid sit, mox quid erit, nocte, dieq; monet.

Quis-

Quisquis amas iubar hoc, tenebras me litare sepulcri,
Horror hic ætheréæ gymnadis instar habet.
Num pudet hinc se ipsos didicerunt, astra, Deumque
Christiadæ heroes, dedidice e solum.
Quàm citò prætereant fugientis fulgura vitæ,
Nil hominem meliùs, quàm breuis vrna docet.

108 *Quidnam sit in causa, cur & miseri vitam infelicem adamemus, & mortem timeamus.*

CVr tam diligimus vitæ producere luctum,
Si nati ad lacrymas flemus ad interitum?
Sentimus quamuis viuendo crescere curas,
Attamen hisce malis fixus inhæret amor.
Non ostro exuimur, non linquere cogimur aurum;
Deserere ærumnas, pauperiemq. graue est.
Heu scio! si labes absint, iucundior esset
Illa dies, quæ nos redderet alma Deo.
At quando potiùs pœnas in morte timemus,
Hinc adeo dulce est viuere, triste mori.

109 *Quodcumque scelus authori scelerato in pœnam cedit.*

SE timet imprudens quisquis peccauit, & vltam
Iam mouet, vt Minos, se reperitq. reum.
Nec valet hoc sæuum cordis vitare tribunal,
Ni sese fugiat, displicet inde sibi.
Cæsa matre Nero furijs agitantibus vmbras
Nocte timet: sceleri est maxima pæna quies.
Ante nefas meditare hæc conscia Tartara mentis,
Quisquis es, & furias non patiere tuas.

Spes

110 *Spes dilata affligit animam.*

SPes licet eximijs dissoluat pectora curis,
Fidis vbi, excussà nube, redire diem.
Hæc tamen infelix fiet medicina venenum,
Si spes differtur, nec rata vota refers.
Sæpe hinc sperabis mortem, vitamq. timebis,
Si nimium optatis hæseris ipse tuis.
Hic nequid speres nimium; Spes te mala perdet,
Quæ superas spernens hic tibi spondet opes.

111 *Vera victoria est, & gloriosa se ipsum, & sua vitia vincere.*

QVisque suas patimur furias: hinc tartara pectus
Fert sibi criminibus se ligat vnde suis.
At, quod deterius, sua vincula quisquis adorat,
Mancipium infelix dulcia damna putat.
Te vince, Herculeos si vis superare triumphos;
Stultitiam Alcidem non domuisse ferunt.

112 *Horologium e puluere.*

HIc modicus puluis ventis iactatus, & vndis
Littoreis nuper, clauditur ecce vitro.
Inclusus tamen hic alternis lapsibus horas,
Mortalis vitæ tempora dinumerat.
Tristius inuentum, elapsi seu me admonet æui,
Seu mortis celeres prænotat ante gradus!
Oh mihi par moles! Est vita simillima vitro;
At mox, dum moriar, nil nisi puluis ero.

113 *Virgilij Maronis Poëtarum principis funus autumnali tempore.*

DVm meditor mecũ, autumno redeunte quotãnis
Cur taceant Musæ, Palladis aula vacet;
En subit extinctum fatali hoc tempore vatem
Virgilium, decus, ô Mantua, grande tuum;
Diuinum vatem; caneret vel aratra, vel enses,
Credibile est Phœbum sic voluisse loqui.
Ergo sibi inferias petit ille, silentque sorores
Aoniæ in lacrymis, fregit Apollo chelym.
Præstiterit funus tantum celebrare camænis,
Si Maro quis vates alter in orbe foret.

114 *Vitæ humanæ calamitas, & in morte periculum.*

EST homo fronde leui, volucriq. fugacior aurâ;
Exoritur lacrymans, & gemebundus obit.
Vt breuiùs viuat, patitur genus omne malorum,
Si senium attingit, nec perit ante diem.
Omnibus inuisus, si paupertate laborat;
Diues opum lites, cuncta pericla subit.
Quid, quando insidis tabescere cogitur aulis,
Crimen vbi est virtus, esse piumq. nocet?
An cordis motus, atq. intima bella renarrem,
Quas alit Eumenides sumptibus ipse suis?
Sic mare fluctiuagum vita est, vbi funera portus;
Styx ibi naufragium, ni Cynosura Deus.





IO: BAPTISTÆ VGOLINI

EPIGRAMMATVM

LIB. V.

Ad Rev. Dominum Carolum Sinibaldum virum eruditissimum, & poëtam eximium, quem precatur, vt sui libelli carmina corrigat.

QVi tibi Apollineas mirùm, Sinibalde, sorores
 Concilias Italis, Ausonijsq. modis:
Cuius adorati vis carminis arte Poësim
 Restituit veterem, nobilitatque nouam.
Percurre ò nostras, tenuissima carmina, musas;
 Si censor iubeas, hæc dabo cuncta focis.
Si qua probas, reliquum dele, non damno lituras;
 Omnia si damnas, spongia tota placet.



Ad

1 *Ad Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Dominum Benedictum Pamphilium eximiæ Indolis Principem iam Rhetoricum, Philoſophum, Theologum, & Iuriſperitum; plauſus.*

AMbitioſus erat, Princeps, meus iſte libellus
Laudibus eximijs plenior ire tuis.
Sed mea Terpſicore tantas attingere dotes
Abnuit, & tenuis fregit Apollo chelyn.
Namque ſuo Arpinum quidquid iactauit Alumno,
Vnus habes, quidquid docta Stagyra ſuo.
Iam ſapis & quidquid de Numine tradit Aquinas,
Quodq. Aſtræa ſuis lancibus æqua iubet.
Nemo neget tantum his fieri immortale volumen,
Si noſſem meritis hoc animare tuis.
Quis verò hæc animi referat bona? Corporis ingens
Deſperem, & formæ tangere poſſe decus.

2 *Ad D. Carolum Borromæum S.R.E. Cardinalem Mediolani Archiepiſcopum.*

CArole, quo primùm ſe Inſubria iactat alumno,
Et quo mox eadem præſule maior ouat:
Quàm bene virtutum meritis decus addis Abollæ
Purpureæ, quæ te plus decorando micat!
Quàm largè exactum profundis egentibus aurum,
Vnde homo dedifcat condere auarus opes!
Ve-

Vestiat heroas tales sacra purpura, & orbis
Christiadum existat Regia digna Deo.

3 *Ad Dominum Annibalem Fracassatum Bononiensem summæ expectationis iuuenem italicâ, latinâque poësi egregiè scribentem, licet nondum Rhetorem.*

INdolis eximiæ Iuuenis, decor alme Tuorum,
Annibal Aonij spes neque parua Iugi.
Namque vel Hetruscos ausus recludere fontes,
Vel latium hic Tybrim, prodigiosa canis.
Qualem te præstes, teneas vbi Palladis aulas,
Si nostrâ ex humili gymnade tantus abis?
Spondet digna tuis ingentibus omnia cæptis,
Quæ te vel puerum gloria tanta præit.

4 *Ad perseuerantiam in bene agendo, exhortatio.*

QVicumque angustum virtutis scandere callem
Cœpisti, te ne terreat iste labor.
Edomitis monstris angustior astra subibis,
Quàm veterem Alcidem fabula vana ferat.
Hoc etenim veros fuerit retulisse triumphos,
Si te cum vitijs viceris ipse tuis.

5 *Ad auarum quendam senem.*

QVid tantum sudando paras, quod rideat hæres,
Cum quidquid tu nunc esuris, ille voret?

Ad

6 *Ad malum, & imperitum Pictorem.*

DVm male depingis, picturâ pascis inani
Corpus, non animum, si cui vendis opus.
At tua quisquis emit, se sentit imagine captum,
Dum nec digna satis, quæ caperetur, erat.
Pinge orcum, & furias, quas territus horreat emptor,
Nam sacra si pinges, sydera nullus emet.

7 *Mala conscientiæ pœna, quàm metuenda peccantibus.*

VIncere qui speras trepidæ mala gaudia mentis,
Erras, ni culpæ desinis ire vias.
Tot miser infensos cordis patiere tyrannos,
Intus quot labes dulcia monstra foues.
Quisque sibi Tityus fœcundat viscera pœnis,
Per scelera, hæc obeunt vulturis ipsa vices.

8 *In hominum insanas spes in mundo fixas.*

GRādia quid speras, vbi sunt nimis omnia parua?
Imo vbi te miserum senseris esse nihil?

9 *In Aulum hominem flagitiosum, & dumtaxat omnium odio nobilem.*

QVis tibi crediderit, quis te non oderit, Aule,
Qui facienda fugis, ceu fugienda facis?

Om-

Omnia dementiis spernens hominesq., Deumque,
Virtutem simulas, dissimulasq. scelus.
Cætera quid referam? Castis pax auribus: hinc te,
Rem magnam peragit, si quis amare potest.

10 *D. Gregorius Thaumaturgus precibus montem loco mouet, & perniciosum fluminis cursum compescit.*

QVis credat solidos montes de sede moueri,
Et solis precibus cedere posse loco?
Et tamen hoc vix ipse iubes, vt templa Tonanti
Ædifices, Gregori, & mons tua iussa facit.
Et quis non stupeat presso impete flumina fluctus
Sistere prætumidos obsequiosa viris?
Omnia fas hominem superis con fidere amicis,
Si vim det precibus mens bona, firma fides.
At reat hic didicisse loco decedere montem,
Protinus vt cursum sistere vidit aquas.

11 *In Præsentatione Beatissimæ Virginis.*

MOx paritura Deum dum Pupula sistitur Aris,
Terra Deo dignum, quid dare possit, habet.
Incipit & tanto placari munere Numen,
Sentit enim quantum ponderis ista ferat.
Fausta dies terris risit, iucundior astris;
Oh ne hominum cesset soluere vota genus!
Sed quondam magis ipsa dies hilarabit, & annos,
Aurora hæc Solem cum feiet alma suum.

Nam-

Namque Deum terris, & terras reddet Olympo;
Disce, homo, quanti est hæc pupula, quanta gigas!

12 *Diuus Clemens Martyr.*

DVm tibi, diue senex, suspenditur anchora collo,
Præcepsque in tumidum volueris inde salum;
Impietas sperat te perdere posse sub vndis;
Ast tibi liberior spiritus astra subit.
Altera pars corpus dum naufraga creditur alto,
Excipit hanc superum, contumulatq. manus.
Tanti est pro Christo mortalem fundere vitam:
Depositum Cæli vel maris vnda colit.

13 *In hominem inuidum.*

INuide, quàm miser es, Cælo doliture sereno,
Vade alijs faustos videris ire dies!

14 *Diua Catharina Virgo, & Martyr sancta, sapiens, fortis.*

QVæ sapiens, & sancta viget, Catharina triũphos
Proh quantos Cælo dotibus vna parit!
Namque fidem solidis virtutibus armat Amazon,
Ceu Rosa vepre armat, murice adornat humum.
Disceptando viros superat, veriq. Magistros
Efficit, atque docet credere, deinde mori:
Denĩq; testatura fidem cadit hostia ferro;
Fortia pro Christo hoc est agere, atque pati.

De

15 *Domitius Nero Magistrum Senecam iubet interfici.*

SVccisis venis iussu perit ille Neronis,
Quo didicit mores instituente Nero.
Sed iam perdiderat Senecam ferus ille, magistri
Cum prius ex monitu viuere desierat.
Nunc moriente viro delitum interficit orbem,
Cuius in aduersis ipse Magister erat.
O Nero! Si tibi grande nefas extinguere matrem,
Hic Pater, Orbis amor, deliciumque fuit.

16 *Dominus Saluator Rosa Pictor, & Poëta egregius moritur.*

SIccine, Saluator, moreris, neque seruat Apelles
Pictorem, aut Vatem doctus Apollo suum?
Siccine mors talem charitum decerpit Aprilem,
Atque adimit nobis inuida Parca Rosam?
Quam bene pinxisti, illa eadem fortuna rebellat,
Vt foueat quæ tu monstra colore feris.
Ecce tuas tabulas, & carmina mundus adorat;
Famaque post cineres posthuma maior erit.

17 *Ad eundem.*

VAtes, & Pictor pictoribus, atque poëtis,
Tu Rosa, tu ingenij nobile Numen eris.

Tum

18 *Puer quidam, dum ad sepulcrum extinctæ matris plorat, sepulcrali sublapso lapide extinguitur.*

DVm puer ad tumulum luget genitricis, & orat,
Vt sibi dent tanto fata dolore mori;
Protinus ipse lapis, quo clauditur vrna parentis,
Concidit, & miserum contumulando necat.
Hei mihi, quàm prŏpta est mors exaudire vocantes!
I nunc, & surdam crede, iocansque voca.

19 *In morte Domini Marij Nutij Pictoris, cuius summa laus in pingendis floribus, vnde ipsi erat nomen.*

QVi nuper Marius flores animare figuris,
Ver facere æternum prodigiosus erat;
Protinus interijt; nec ver, nec Flora cadentem
Fulsit, neue vllum, quod bene pinxit, opus.
Num mors inuidit, quòd redderet ille perennes
Veris delicias, quas necat vna dies?
Protinus heu miseros omnes, ceu Sylla, vetustas
Cum Mario nos, & floribus atra rapit.

20 *De eodem repentè mortuo.*

IN vitris Marius flores depinxit: vtrinque
Edidicit subitò, dum cadit, ipse mori.

Ad

21 *Ad D. Andream Apostolum mortis pro Christo amantissimum.*

Siccine tam tibi mors placet, vt procul ore salutes
Instrumenta necis, Crux quasi sponsa foret?
Sic propiùs mortem cantare feruntur olores,
Esse docet candor nam sibi dulce mori.
Sic tu, diue senex, gaudens imitare magistrum,
Quando amor annorum non timet iste gelu.
Si mors vna potest hominem coniungere diuis,
Proh quanto est potior funeris iste modus!

22 *Ad Patrem admodum Reu. Franciscum Simonescum è Soc. Iesu; de Aureo Vellere ab ipso in Rhetorica Venetijs edito.*

QVis Phryxi Vellus, quis Colchica regna renarret?
Ditius in Venetis Adria vellus habet:
Vellus habet, Francisce, tuum, nec naue petendum
Est Argo; huc properet qui sibi quærit opes.
Delecti Heroes Iuuenum pretiosius aurum
Hinc petite; Ingenio crescere maius erit.
Palladium docet hoc vellus ditescere Regno;
Hinc fit homo humanis arbiter arbitrijs.

23 *In perfidum quendam, qui amicitiæ specie quædam sibi carmina abstulerat.*

QVisquis es, ò nostris aliàs indigne libellis
(Perfidiæ dempto nomine) posse legi:
Vel nugas mihi redde meas, vel Apollinis iram
Prædo, time: Vati det sua tela Deus.
Redde, vel Eumenidum iam iam meditabor Iambũ,
Qui malè deuoueat teque, tuumq. caput.
Quanquam perfidiæ, vel sic data præda peribis,
Nec poteris fato deteriore rapi.

24 *Mala conscientia scelerum vindex.*

CRiminis ipse sibi reus est reprænsor, & vltor;
Mens eadem exercet conscia supplicium.

25 *Ad quendam perditum hominem, & nugacem, quem ad pœnitendum hortatur.*

POne modum nugis; monet hoc fuga mobilis æui,
Quæque mori properat vix tibi nata dies.
Dum ludis demens, tibi mors inopina propinquat,
Teque timenda nimis iudicis vrna manet.
Da lacrymis quidquid superest; his elue mentem,
Si qua tuæ iam te cura salutis habet.
Esto memor saltem, quod non sunt fabula manes,
Mors vbi perpetua est velle, nequire mori.

I Ad

26 *Ad Amicum in natalitiâ Christi Domini solemnitate.*

EN Deus ipse Deum Verbum delegat ab astris,
Et missà nobis prole salutat humum.
Mittere non poterat iucundiùs ore salutem,
Non alio mitti dulcior ore salus.
Hinc tibi perfusus tantâ dulcedine mentem
Fausta precor; niueos auguror ire dies.
Sed nascens Puer ipse tacet, vel vagit in antro;
Pauca loqui eximius quàm bene discit amor!

27 *Ad amabilissimum Infantulum Iesum nascentem.*

NAscere, parue Gigas expectatissime votis,
O Patrum dulcis cura, perennis Amor.
Quem sacri vates tot prædixere figuris,
O cunctis veterum meta beata notis!
Nascere, te tandem per te rediuiuus adoret
Qui sine te dudum perditus orbis erat.
Sed præmitte faces, congestaq. corda tuorum,
Te dignè vt redament, edoce amando mori.

28 *Ad eundem in ipsa natalitiâ solemnitate.*

VIx oreris, summi Proles, Amor alme Parentis
Virginis è gremio, sol velut exit aquis;
Cum vincit nox ipsa iubar, te sole, diemque,
Veris ad inuidiam florida ridet hyems.
Osten-

Ostentat libanus redolente cacumine cedros,
Engaddi vernas vinea fundit opes.
Cor mihi solue gelu, fletusque beabit amaror,
Si dederis lacrymas me sociare tuas.

29 *Ad cor humanum Deo nascente.*

SOl nascens terris in flores excitat herbas:
Sol Deus exoritur; soluere cordis hyems.

30 *In eadem Christi Domini Natiuitate.*

EXoriente Deo Bethleæ Rupis in antro
In lapide Aligerûm hæc verba notata manu.
Discite, mortales, terrarum ponere curas,
Qui puer hic oritur, vos iubet ipse Deus.
E Cælo veniens vestros ille induit artus,
Tam sua vos, homines, tollere in astra cupit.
Pungitur hic paleis nudus, gemit, alget, anhelat:
Væ vobis, tantus ni redamatur Amor!

31 *Virtus sine æmulatione intabescit.*

TOrpet iners virtus, quam nō fouet æmulus ardor;
Quid, quòd & in vetitum desinit illa nefas?
Vix Roma hostiles strauit Carthaginis arces,
Et patriam Hannibalis herba, & arena tegit.
Cum sua conuertit victrix in viscera ferrum,
Seque intestinis conficit ipsa malis,
Ecquid erit tutum, seu quid durabile, si tam
Sæpe etiam in terris hoste carere malum est?

32 *In sua quisque causa malus est iudex.*

DVm quicumque nefas alienum damnat, & odit,
Qui fit, vt in proprijs dormiat vsque malis?

33 *Ad Dominum Augustinum N. de monte Musarum in Sabinis, qui ex Romana Curia reuocatur in Patriam ad ducendam vxorem.*

FAta regunt homines: Te vxorem ducere cogunt,
Vt thalami serues fœdere iura domus.
Insuper hæc Helenã ex multis tibi nubere mandant,
Est cui Tindaridis forma, sed omen abest.
Nam cum pace tibi hæc spondent connubia prolem,
Qualis Ledeæ frater vterque fuit.
Hoc patrij montis prædicere crede sorores;
Non poteras fato nobiliore regi.

34 *Morientis anni, & fugientis temporis effectus.*

ANnus obit, moritur mensis, perit hora, diesque;
Ocyor hinc vento, & fulmine vita fugit.
Hinc simul intereunt nullo discrimine reges
Et populi, falcem mors sine lege rotat.
Nullus honos opibus; Cræsus moriuntur, & Irus;
Confusos cineres perbreuis vrna tegit.
Nec mortem excludit iuuenilis forma, nec ætas,
Non Venus, aut Hebe protegit vlla decus.

Car-

Carcere soluendos animos benefacta sequuntur;
Cur patimur vacuas temporis ire vices?
Sic vel vita breuis nos fecerit vna beatos;
Ceu mors æternos efficit vna viros.

35 *Quàm sedulò redimendum vitæ tempus, quanti sit bene viuere.*

Dum tibi vita citis præteruolat ocyor euris,
Heu miser ignoras, quàm pretiosa dies?
Ludendo gaudes heu fallere tempus, & horas
Inde inter nugas falleris ipse tuas.
Quin potiùs tibi bella geris, tua crimina vincis?
Otia Christiadum dedocet alma fides.
Historijs veteres si consuluere futuris,
Quantus eris tu, cui gloria, palma Deus?

36 *Auaritia tormentum multiplex auaro est.*

Non auri satiatur amor, hinc diues auarus
Supplicia ingeminat, dum sibi quærit opes.
Namq. voluptatis quod plenior arca ministrat,
Amittendi aufert improbus ipse timor.
Quin opibus parcendo Mida infelicior ipso est,
Nam Iouis est peius munere nolle frui.
Sic miser inter opes ridenti hærede peribit;
Nec queat hoc meliùs iudice, teste mori.

37 *In diuitem, & superbum hominem prædijs suis gloriantem.*

PRædia quid iactas, si puncto includitur Orbis?
Punctum est, si terras cernere ab axe scias:

38 *Diuus Antonius Abbas Aegyptius ingens Patriæ gloria.*

AEgyptus regio quid fertur barbara, tales
Si fert digna parens, ac alit ipsa viros?
Nobilitat Patriam satis hanc Antonius heros,
Eminet vnde alijs inuidiosa plagis.
Tam carus superis, & formidatus Auerno
Vixit, vt hinc plausu sanctior Orbis ouet.
Longæuus tandem, at meritis quàm plenior annis
Emoritur, Cælo dignior astra subit.
Oh tales passim ciues progigneret Orbis,
Ipsaq. barbaries gloria summa foret.

39 *Ad Lectorem.*

SCribimus indocti, doctiq. poëmata passim,
Flaccus ait, Latiæ gloria prima lyræ.
Has ego dum statui scribentibus addere nugas,
Huic saltem vati consuluisse ferar.
Hic tamen, hic aliquid, si lector amice, probaris,
Ipsa mihi hæc eadem qualiacumque placent.
Supplicium infelix tulero, si hæc omnia damnas;
Pœna ingens docto est displicuisse viro.

In

40 *In Domini Iacobi Carissimi Phonasci celeberrimi funere.*

QVisquis amas cantu discrimina flectere vocum,
Tristè sile, suspende organa, pone fides.
Scilicet occubuit Carissimus ille Magister,
Qui vocum ad methodum Numinis instar erat:
Artis prodigio qui tot miracula finxit,
Quot scripsit numeros, composuitque notas.
Nunc Cælo exceptus concentibus ille beatis
Plùs ouat, vt nuper tantus in arte fuit.

41 *Non est pax impijs, & scelus vbique miserum.*

NEmo malus felix: populis dare iura Nerones
Arbitrijs poterant vertere cuncta suis.
Et tamen in Capreas Româ fugit ille relictâ.
Ast animi curis obrutus inde dolet.
Hic scelerum infelix furijs agitatur, & vmbris,
Quas cum Dite refert aurea tota domus.
Nil iuuat ad pacem metuenda potentia: pũctum hoc
Qui proprijs vitijs imperat, ille tulit.

42 *Ad Christianos diuites, vt salui fiant.*

QVisquis habes nimiũ, quin spargis egẽtibus aurũ?
Arcta via est Cæli, plenior ire nequis.

43 *In obitu adolescentis ingeniosissimi, & iam poetæ.*

ERgone flos iuuenum, puer, anxia cura parentum,
Lilia qui vultu viceris, ore rosas;
Tam subitò moreris; nec te tua forma, nec ipsum
Sustinet ingenium, quo modò tantus eras?
Nec sibi te redimit Pindi chorus ipse sororum,
Queis sacra iam vates feceris ante diem?
Heu mors immiti quantum decus abripit ictu!
Virtutum messis vere perempta cadit.

44 *Consolatio ad Patrem in morte filij eximiæ indolis pueri.*

POne modum lacrymis, quamuis iustissima flendi
Causa hæc in luctum saxea corda vocet.
Ille quidem occubuit tua dulcis cura parentis,
Qui modò totus amor, deliciumq; fuit.
Errauit mors ipsa, puer dum tantulus annis
Plenus erat meritis; credidit illa senem.
Emeritis, genitor, doleas quod flosculus iste,
Raptus humo æthereas iam beet vsque plagas?
Ipse triumphatis ubi pupus clamat ab astris;
Quam dulce est, Pater, hic viuere! Tuq; gemis?

45 *Beati pauperes: multi sunt vocati, pauci verò electi.*

PEr fas, atq; nefas cumulatur ab omnibus aurum,
Ac si diuitiæ regna beata forent.

Ast

Ast inopes potiùs Deus e docet esse beatos,
Inde locupletem deteriora manent.
Quis furor aduersos homines iubet esse Tonanti,
Et mens est nobis spernere quidquid amat?
Ergo vias superæ par est lugere Syonis,
Quòd rarus teneat tale viator iter.

46 *Ad Fuluiam Marci Antonij uxorem, dum Ciceronis linguam acu pungit.*

CVr fera pungis acu Ciceronis, Fuluia, linguam?
Mortuus Orator num tibi bella mouet?
Hæc nuper viuens carpebat lingua maritum,
Nunc te indignantem mortua lingua ferit.
Nam sensùs expers nusquam tua vulnera sentit,
Omnia tu furijs fers agitata tuis.
Quis furor? æternùm famæ mordebere linguis,
Ceu scriptis coniux: Vltio quanta tua est?

47 *Gratiarum actio nusquam par.*

IMpariles numero quas tradidit esse vetustas,
Quis speret grates reddere posse pares?

48 *Ad Dominum Ioannem Baptistam de Sanctis de nobilissimà Tragedià Ariobarz: ab ipso compositâ.*

SIc tua Molpomene tragicis induta cothurnis
Allicit, vt luctus cor beet, atque dolor.

Sic fato heroum permiſces atra ſecundis,
Vnde minus gratum non doluiſſe foret.
Sic fallis rerum euentis, vt amabilis error
Sit menti, & recreet, quod fuit ante metus.
Tandem opus eximium ſic læto fine coronas,
Perfidia vt merito victima ſola cadat.
Ergo immortalis cingat tibi tempora laurus,
Ceu per te victrix ipſa cupreſſus ouat.

49 *Quàm metuendum Christi Domini tribunal, & extremi Iudicij dies.*

DIſcite iuſtitiam, & lentum ne ſpernite Numen,
Impunè addentes crimina criminibus.
Ocyus illa dies aderit, qua Iudicis vrnam
Irati ſubeat quiſquis in orbe reus.
Oh quàm durus erit, quantùm mutatus ab illo,
Cui nunc largiri, & parcere ſummus amor!
Par, ne plus hominem ſe oſtenderit eſſe ferendo,
Quàm condemnando ſe probet eſſe Deum.

50 *Virtus triumphalis, & glorioſa in Martyribus.*

MOrtis ad inuidiam virtus inuicta triumphat,
Mille ruinarum quæ fuit ante ſcopus.
Teſtor quos hominum cineres veneramur ad aras,
Qui fidei obſequio ſuſtinuere mori.
Occubuere feris quondam data præda Tyrannis;
Chiliadum ſemen protulit ille cruor.
Heroum exuuias pronus nunc orbis adorat.
Tanti eſt per mortem demeruiſſe Deum.

51 *Agere, & pati fortia diuinum est.*

QVi mundum verbis, hominemq. crearat agendo,
Hunc recreat factis, & patiendo Deus.
Vtque pati posset, mortales induit artus,
Virginis è puro sanguine factus homo.
Hic verò quot probra tulit, mortemque relatu
Indignam, vt populis cælica iura daret?
Oh pereat, tantum qui non redamarit amorem,
Fortia cui soli fas agere, atque pati!

52 *Paupertatis Christianæ quale sit patrimonium.*

VEra docet virtus homines ditescere paruo;
Numen amans redama; numine diues eris.

53 *Regina Cæli lætare.*

GAude Sponsa tui, virgo, materque Tonantis;
Ecce tuus victà morte reuixit Amor.
Ille amor omnipotens, quem par diuellere votis,
Inq. 'uum fueras ducere ab axe sinum.
Visceribus cui, Diua, tuis, & sanguine corpus,
Posse pati dederas, & reparare genus.
Quem nuper pleno moribundum tempore fleuit
Sol tecum, eripiens tristis ab orbe diem.
Victoris iam plaude tui, Regina, triumphis,
Damna orbem hunc votis mitior ipsa tuum.

54 *Ad Diuam Mariam Magdalenam de Pactijs diuini Amoris propè insaniâ laborantem.*

PActia, quò raperis, quò te impetus vrget Amoris,
Vt te dedifcas, & videare furens?
Percurris facras ædes oblita decoris,
Et clamans retegis vocibus vfque faces.
Sæpe manu captis vim ferre fororibus audes,
Feruidaq. attonitas cogis amare Deum.
Oh capiat ftultum hæc prudens infania mundum;
Atq; hominum talis pectora perdat amor!

55 *In quonam verus difcentium progreffus.*

DIfcere quifquis amat, vanos feret ille labores,
Nofcere ni femper difcet amare Deum.

56 *Ad D. Pancratium puerulum annorum duodecim, & martyrem fortiffimum.*

PLaude tibi, generofe puer, pia cura Tonantis,
Pancrati, & palmis ludere difce tuis.
Vincis tam tenerâ moriens ætate tyrannos,
Vix caufam vt mortis nofcere poffe rear.
Oh fidei decus eximium, quam comprobet ætas
Tantula, cui teftis lacteus ipfe cruor?
Proh quantus fueris fectâ ceruice magifter,
Si voces fanguis, vimq. docentis habet!

Mors

57 *Mors viri iusti qualis sit.*

QVisquis in orbe suos traduxerit optimus annos,
Seriùs, aut citiùs viuere dignus obit.
Viuendo didicit vitæ contemnere soles,
Vnde immortalis morte sequente foret.
Tunc velut albus olor sua funera cantibus explet,
Quis neget, extremus si placet ipse dolor?
Cumq. memor talem semper prope finxerit horam,
Num moritur? potiùs desinit inde mori.

58 *Oculorum laus ab ijs, quæ visu dignissima.*

SEu Pictura suas animare coloribus vmbras
Gestit, & hinc fallens, alliciensque placet:
Seu sculptura docens sua viuere marmora Cælo,
Aemula naturæ mollius edit opus:
Seu fert ingenium miracula mille per artes,
Vnde orbis passim prodigiosus ouat:
Omnia vana forent, nobis nisi sydera vultus
Detegerent oculi quidquid vbique nitet.
Quis mihi Democritum hic laudet, frōtisq. tenebras?
Gloria Mæonidæ, Tiresiæque vale.

59 *Homo infelix nascitur, viuit, moritur.*

QVòd ploret vix natus homo, nil miror, vt ille
Est miser, ad lacrymas nascitur inde suas.
Nec mirum est, viuens quòd lacrymet, vt sua sentit
Iam mala; ridentem mirer, & ipse fleam.

Quis

Quin ouet emoriens positurus morte dolores,
  Admiror, stupeo; sed magis ille gemit.
Si nulla est nasci, si viuere parua voluptas,
  Cur pœna infelix debuit esse mori?

60 *Diua Catharina Senensis spinas rosis præfert, & tali serto se coronat.*

EN, Catharina, tibi Sponsus duo serta parauit,
  Atque eadem diuà porrigit ipse manu.
Ast ò quàm cultu compactus dispare nexus!
  Allicit hic roseus, spineus ille riget.
Elige, Sponsa, tibi datur optio; murice viuo
  (Quid?) rosa non ne rapit te, remouentq. vepres?
At spinas præfers, Sponsi quæ tempora cingunt:
  Proh quanto serta hæc sunt potiora rosis!
Ergo cuius amas genium inde simillima sponsæ
  Ornari serto nobiliore nequis.

61 *Adhortatio ad Iuuenes, vt sedulò bonis artibus studeant.*

CVr piget, ò Iuuenes, amplecti Palladis artes?
  Quàm dignum vestrà hæc indole monstrat iter!
Eximite obscuro mixtæ vos plebis aceruo;
  Scanditur hic veræ nobilitatis apex.
Insuper exoritur studijs operosa voluptas,
  Nec genus illicij verius esse queat.
Sceptra gerant alij, populis dent iura superbis;
  Ingenio sapiens arbiter orbis erit.

Quam.

62 *Quanti sit se ipsum in voluptatibus vincere.*

SIrenum vt cantus vitet, sibi cautus Vlisses
Auribus obstructis, dulcia monstra fugit.
Assuetus bellis heros timuisse camænas
Credatur, terror qui fuit ante viris?
At fugere illicium tanti est, vt dedecus ipsum
In laudem cedat, sitfuga summus honos.
Discite, mortales, fugiendo vincere quidquid
Vos capit; his palmis vel minor orbis erit.

63 *Cur homo in dies moriens malè viuat?*

SI se homo sentit vbiq; mori, cur improbus æuum
Traducit? Se ipsum noscere nemo studet.

64 *Sampson infelicis amoris documentum.*

ILle Philistæis Sampson data præda Tyrannis,
In Dalidà perijt, queis modò fulmen erat.
Heu crudele nefas tantum vt lupa sæua leonem
Perderet, inq. vno sterneret Isacidas!
Fœmineæ fraudes! disce hinc, malecauta Iuuentus;
Num pulcræ Eumenides te super astra ferant.
Cæcus vti Sampson lapidem trahit inde molarem,
Quisquis amans capitur, sic sua fata rotat.

65 *Ad Regem Dauid, dum &c.*

QVi puer horrendum strauisti cæde gigantem,
Te regem, atque virum siccine vincit amor?
Accio, cur pereas; feriente cupidinis ictu,
Quos reperit vacuos, ista sagitta ferit.
Nam cur tam liber spectacula noxia captas,
Cum sternendi hostes per pia bella forent?
Heu quem non perimat cognata per otia luxus,
Si caput hoc ingens victima flenda iacet!

66 *Cur aduersis vniuersus terrarum Orbis redundet.*

SCis, cur in terris passim sors omnia versat?
Sic fausta ex miseris elicit ipse Deus.

67 *Quid fugiendum, & quid amandum sit ad salutem.*

HEu fuge, si qua tuæ tangit te cura salutis,
Quæ nocitura placet, heu fuge quidquid amas.
Namq. tuus te prodit amor, nisi quæris olympum,
Et nisi pro nugis discis amare Deum.
Illuc te vertas; nam cum redameris amando,
Te superis parilem, spe duce, reddet amor.

68 *Verni temporis fugaces deliciæ.*

VEr orbem refouet pulcherrima temporis ætas;
Post boream terras mitior aura beat.

Ar-

Arboribus redeunt crines, resonatq. canorum
Hinc nemus; in pratis florea pompa viget.
Heu breue delicium! quos flores excitat ortus,
Pronus in occasum conficit ipse dies.
Qui legis ista, tuas in te meditare ruinas;
Quàm citò flos æui non rediturus obit!

69 *Aegyptium Horologium in Pyramide.*

QVàm bene in Aegypto distinxit tempus, & horas
Pyramis, ac tumulis extitit ipsa decus!
Non ignorauit gens ingeniosa Canopi,
Quantùm viuentes mors memorata iuuet.
Ergo ne sileat miracula barbara Memphis,
Quorum vsus vitæ regula tanta foret.
Qui sapis, inde tuo tempus metire sepulcro.
Et prætiosa tibi quælibet hora fluet.

70 *Ad N. Poëtam eximium, & pauperem, consolatio.*

QVamuis, vt referunt, fuerit pauperrimus Irus,
Vno se diues, si sapuisset, erat.
Pauper inops ille est, qui se quæsiuerit extra
Nunquam contentus, nudus & inter opes.
Sunt hederæ steriles, laurus vix sufficit vmbras;
Plaude tibi ingenio, culte Poëta, tuo.
Si Mecænates desunt, sua præmia musis
Non deerunt, saltem posthuma vita feret.
Præsentes contra Dominos tua carpet egestas;
Namque dare emeritis, consuluisse sibi est.

Amit

71 *Amor diuinus in sanctissimi Spiritus aduentu.*

EST Deus ignis amor, se infundere cordibus optat,
Si modò non renuant huic dare corda locum.
Igneus inde Deo plenissimus irruit imber,
Cum se se in terras mittere Numen amat,
At ne mortales deterreat igneus horror,
Linguarum in speciem Spiritus ipse pluit.
Quisquis amas etiam has linguas audire loquentes,
Cor pande, & redama; hoc fatur, & audit amor.

72 *Ad Dominum Bartholomeum Ginum, de cultissimo epigrammate ab eo exarato in tumulum propè Romam nuper repertum.*

DVm canis ad tumulum, cineresq. requiris inanes,
Oh quàm, Gine, chelys prodigiosa tua est!
Nam si reliquias vel perdidit ipsa vetustas
Heroum, renouas cantibus ipse decus.
Quòd si vim tanti sentiret Apollinis vmbra
Quæque per has vrnas funere culta fuit;
Proh quantùm casus consolaretur amaros,
Quando his deberet sic potuisse cani!
Perge, age; da rebus diuino carmine vitam;
Votum erit in musis viuere malle tuis.

Ad

73 *Ad Dominum Nicolaum Nerium, de Rupe Tarpeia, vnde simul Romam cum ipso conspiciebat.*

Hic, vnde, ò Neri, Romæ noua tecta videmus
Ruderibus veteris tollere nixa caput;
Splendida Romulidum fuit Arx, Iouis inclyta sedes,
Et Capitolini gloria summa Iugi.
Diruta nunc Rupes priscæ vestigia formæ
Nulla habet, exiguis vix habitata casis.
Sic iacet; & si istud Capitoli immobile saxum
Prædixit Vates, fabula carmen erat.
Nos nihil hinc terris firmum sperare iubemur.
Tantaq. si pereunt, credere grande nihil.

74 *De augustissimo Eucharistiæ Sacramento.*

Quò feror, & quales iubeor contingere mensas?
Quæ liba omnipotens instruit hospes Amor?
Scilicet exiguo Cereris concluditur orbe
Ipse Deus; tali num dape dignus homo est?
Quid mihi Græca fides, vanissima fabula iactet
Somnia musarum nectar, & ambrosiam?
Hic hìc delicijs, cor, gaude, epulare, triumpha;
Quàm durum es, nisi te mutua flamma vorat!

75 *Ad librum suum.*

Quò, liber infelix, properas exire malignam
In lucem, vulgi nec maledicta times?

Quot

Quot puerùm ronchis, iuuenum mordebere diris!
  Quisque in carpendo te senis instar erit.
Oh quoties malis tali pro lumine flammas
  Quæsisse,in tenui vel latuisse domo!
Adde, quòd innocuus pariter procedis inermis;
  Nescia musa viros carpere, peius habet.
Quòd nihil obsceni demum lectoribus offers,
  Obsit; vix vacuis ebria musa placet.

76 *Ad Amicum otiosum, quanti habendum tempus bene agendi.*

QVidquid habes,nescis,quanti est,discesq.carêdo,
  Cogendus damnis illa crymare tuis.
At si thesauro tempus pretiosius omni est,
  Cur vitæ infelix tempora tota teris?
Ille querebatur Titus,se perdere Soles,
  Munere ni posset demeruisse viros.
Tu quantùm doleas supremo in limine mortis
  Non tibi viuendo conciliasse Deum?

77 *Idem tempus quanti sit, ceu semen æternitatis.*

QVisquis non sentit pereuntem in têpore censum,
  Sit memor,vt tali pendet ab asse salus.

78 *Ad Diuum Antonium Patauinum dum Infantulum Iesum brachijs sustinet.*

QVis tibi sensus erat, dum colludebat in vlnis
  Sæpe tibi, Antoni, paruulus ipse Deus?

Cie-

Crediderim voluisse mori, sed tanta voluptas
Cordis deliquijs arcuit inde necem.
Viuere prætiterit; sic quos conceperis ignes
E niuibus pueri, cordibus ipse feres.
Hinc tibi prodigijs ceu consita vita refulsit,
Prodigijs toto fulgurat orbe cinis.

79 *Ad Dominum Ioannem Lottum Poëtam eximium, cuius diuinis carminibus se ad poësim iterum sense- rit excitari.*

TEnto chelym nuper, sterilique obluctor auenæ,
Inuitum ad carmen nullus Apollo fauet.
Protinus in mentem tua feruida musa recursat,
Fertq. mihi optatam Numinis instar opem.
Ast vbi quæque canis, meditor, vatum optime, rursus
Excidit ausus iners, obsequiumq. subit.
Ergo & quòd sileam, rursumq. quòd exciter, isthæc
Vis diuinæ artis prodigiosa facit.

80 *Quænam sint vera diuitiæ.*

FAllere quisquis opum specioso nomine iactas
Aurum, seu culti iugera magna soli.
Quidquid Erytræis gemmarum educitur vndis,
Purgamenta maris, quid nisi blanda lues?
Dicito diuitias animorum lumina, census,
Queis homo se superis iactitet esse parem.
His ditesce bonis, quæ te immortalibus ornent
Dotibus, hinc fausto Numine diues eris.

Ad

81 *Ad Marcum Tullium Ciceronem in Fuluiam Marci Antonij vxorem, quæ extincti Oratoris linguam acu pungit.*

ARpinas facunde, tuam vis aurea linguam
Fouit ita, vt gelidâ in morte timenda foret.
Fuluia tam stulto terrore expalluit amens,
Vt non sensuram dilacerarit acu.
Fallor, an expauit, ne funere mersa maritum
Carperet emeritis, vsque cruenta, notis?
Mentis inops furit hæc, facibusq. agitata Megæræ
Pro minuendo auget iurgia, probra viri.
Tu, diuine, Hæros, tali vel morte triumphas,
Dum tanti, quidquid dixeris, hostis habet.

82 *Ad Amicum, qui sibi Christum Cruci affixum aureum, gemmisq. distinctum dono miserat.*

TAm pretiosa mihi, diuinaq. munera mittis,
Vt par nec misso corde referre queam.
Ex auro, & gemmis dono largiris Iesum,
Qui sine thesauris sat pretiosus erat.
Oh decus eximium! oh Cælo venerabile munus!
Me miserum, si quid maius in orbe velim!
At tantis tibi pro meritis noua dona precabor;
Aurea det nobis, gemmea corda Deus.
Hoc amor vt deceat Numen, pereamus amando;
Hic obitus superis inuidiosus erit.

Ad

83 *Ad B. Aloysium Gonzagam.*

QVàm bene terrarum, Puer vnice, spernis amorē,
Quando diuus amor te ad meliora vocat!
Quàm bene dimittis regalia sceptra, domusque
Iura tuæ, & magno ex principe nudus ouas!
Perge, age, te sceptris transcribere discis olympi;
Ossus opes, meritis sydera diues adis.
Iamq. tibi Deus ecce Deus tua sceptra rependit;
Dic, quo compenset fœnore Numen opes?

84 *Ad eundem, dum sibi calcaribus ilia dilacerat.*

ANne eget ista nouis calcaribus inclyta virtus,
Quæ per se æthereas deuorat ipsa vias?
Siccine amas quodcumque genus tolerare dolorum,
Insuetam in pœnam vt subdita membra voces?
Desine te innocuum stimulis lacerare cruentis,
Desine; sed magnus maxima cogit amor.
Inde viges; domito sensu velocior euris
Tollitur astra petens Spiritus; ergo sapis.

85 *Ad Diuum Ioannem Baptistam Christi Domini Præcursorem.*

VIx Puer exoreris, vox summi præuia Verbi,
Diuini solis phosphore, magne puer;
Cum noua Idumeas pertentant gaudia mentes,
Natusque in voces soluitur ipse Parens.

Nec

Nec tamen in te isthæc quamuis celsissima miror,
Qui nondum natus prodigiosus eras.
Visentem te in matre Deum, qui matris in aluo
Saltibus excipiens senseris ante diem.
Quantus eris, cum firma virum te fecerit ætas,
Si tantus primo fulseris vngue gigas?

86 *Iudith Hebræorum heroina Holopherni hostili duci caput abscindit.*

FErt Iuditha ducis caput à ceruice recisum;
Fœmineæ factum quod potuere manus.
Isacidum excidijs armauerat ille phalanges,
Deq. viro tanto fœmina inermis ouat.
Bis cadit ipse miser: qui captus amore peribat,
Debuit vltrices inde subire faces.
At vos hinc, Iuuenes, fatalem discite formam:
Casta erat hæc mulier; quàm metuenda Venus?
Parcite per culpas indicere bella Tonanti,
Cui tanta hic tali est vltio facta manu.

87 *Viro sapienti orbis vniuersus est patria, exilium felix.*

QVantùm erras, quicunq viro fera damna minaris!
Est cunctis virtus grandior vna malis.
Hinc quoties patriâ ciuis bonus exulat Vrbe,
Hec pulso, infelix Vrbs magis exul erit.
Ille autem externas quascunque accesserit oras,
Virtute, & proprio diues honore beat.
Hinc quibus excipiunt opibusq., & honoribus ipsum,
Hæc dominum ostentant esse vbicumque velit.
Qui-

Quiq. tenebatur paruà ceu sede reuinctus,
Quàm gestit, toto cui datur orbe frui?

88 *Ad candidum lectorem de suo libro, quem ipsi dedicat.*

EXcipe, lector, opus breuiore volumine molis;
Mens fuit hoc saltem displicuisse minus.
Non hic inuenies Veneres, satyrosque procaces;
Hac mercede orbi nec placuisse velim.
Insulsas præstat sectari carmine nugas,
Quàm malè criminibus plaudere, ferre faces.
Ne graue sit niueis, lector, quòd versibus optem,
Si nequeo similis moribus esse tibi.

89 *Ad Vrbem Romam de D. Petro Apostolo.*

QVæ fueras quondam rerum pulcherrima Roma.
Vrbs Martis, Regum terror, & orbis apex;
Serua erroris eras, sed Piscatore magistro
Facta es iustitiæ dux, fideique caput.
Terrarum victrix Cælum modò victa triumphas:
Quid tibi te vincens non dedit illa Ratis?
Per Petrum gestis velut Vrbs dilecta Tonanti,
Per Piscatorem cęlica gemma micas.

90 *Quàm arduum sit nostris hisce temporibus boni Poetæ sibi nomen comparare.*

SI quis amat musis conscendere culmina famæ,
Proh quantâ ferus merce laboris eget!

K Pri-

Prima poetarum cepere sedilia vates,
  Aonij proceres gloria summa Iugi.
Calliope euexit plures, aliosque Thalia,
  Ipsaq. Melpomene pluribus astra dedit.
Quid mihi, Terpsicore, tenui pro carmine spondes?
  Stertere præstiterit; gloria stulta, vale.

91 *Ad Beatissimam Virginem, dum abit in montana cum festinatione.*

PErge, age, Virgo, tuis pia gressibus ardua scande:
  Iste amor, & feruens ignis ad alta rapit.
Virgineis tot figis humi miracula plantis,
  Quot gressus; gaudet hoc pede terra premi.
Inde nouos reserat fontes, noua gramina profert,
  Inque nouos fœtus, proxima sylua viget.
Hinc vernat rupes, ridet nemus, ora coruscat,
  Rore madens iter hinc æstibus aura leuat.
Sic tibi in obsequium gestit natura, vicesque
  Mutat; nam sentit, quem vehis ipsa sinu.

92 *Ad eandem, dum ingressa domum Zaccharia, salutat Elisabeth.*

VIx pia tecta subis, cum te comitantur euntem
  Prodigia, accessus sentit Elisa tuos.
Quin etiam clausus genitricis ventre Ioannes
  Ipse tibi in gremio sentit adesse Deum.
Sentit, & inflatus diuini Numinis aurà
  Exiliens gestit sanctior ante diem.

Oh

Oh bene! Primus Adam peccando noxius olim
Vel nondum natum perdidit ille genus:
Par est, alter Adam non natum crimine vatem
Exoluens foueat sanctiùs ipse suum.
Per te, diua potens, tanta hæc miracula fiunt;
Tantos, quos, Virgo, viseris, alma facis.

93 *Ad Dominum Herculem Brasauolam, de eruditissima lectione in laudem silentij ab eo habita Romæ in Imperfectorum Accademia.*

NOn tam compescunt tua docta silentia linguas,
Quàm plausus meritos omnibus ore cient.
Sed nequit hæc dignas persoluere fistula laudes;
Non si Mæoniam redderet vsque tubam.
Quid si contempler, quæ sit vis aurea tanti
Eloquij? obsequio noster Apollo silet.
At tu ne taceas, trades nam mira loquendo,
Cui vis flexanima est, cui tot in ore sales.
Nunc quantū noceat mala lingua, docebitur Orbis:
Dignum erat hoc mōstrum te Hercule Garrulitas.

94 *Ad Iuuenem quendam Accademicum execrantem cultissimis versibus profanos amores.*

PErge venenatos lacerare Cupidinis arcus,
Ridendis Veneres carpere perge notis:
Si modò respondent meditatis pectora diris,
Si mens est factis carmina, verba sequi.

Quam metus est, velutivæ alia clamitat emptor
  Esse mala, vt solers quæque minoris emat:
Sic tu ne inconstans mox illaudata requiras,
  Et re, quæ tantùm carpseris ore, probes.
Heu fuge quidquid amas illudere versibus, & te
  Nobiliter plausus, gloria vera manet.

95 *Nauis quædam prosperâ nauigatione ex Indis reuersa in patrio portu demergitur.*

SI nihil in terris tutum est, quis speret in vndis?
  En proprio in portu naufraga puppis obit.
Viserat hæc ventis, votisq ferentibus Indos,
  Et pelagi furias vicerat, atq. dolos.
Nunc vbi diues opum patriæ spem fecerat Vrbi,
  Illius ante oculos mersa, dolore necat.
Heu quàm confinis funestat gaudia luctus!
  Hæc priùs, & procul hinc debuit vsque rapi.

96 *Quidam in templo ante Crucem vetustate semesum, dum supplex orat, eodem Crucifixo Domino delapso intersicitur.*

CRux fuit in templo grandis, quam tanta vetustas
  Ederat, vt sacrum vix ea ferret onus.
Hic quidam supplex sua vota, precesq. Tonanti
  Fundebat pronus, sydera mente petens;
Protinus euulsis clauis ruit inde Redemptor,
  Inque hominem toto pondere procubuit.

Ille

Ille obit optando maceratus vulnere, & astris
(Credere ceu dignnm est) hac nece vectus ouat.
Hic tamen exclamem; nam cor mortalia tangunt;
Mors vbi non est, si vita, salusq. necat?

97 *Diua Maria Magdalena in antro Massiliæ Cruci affixum Deum amplexa pios per affectus se se excruciat.*

NAte Puer quondam Bethleæ rupis in antro,
Quò te sordidiùs hæc Deus antra tenent?
Illic Virgo parens retulit virtutibus astra,
Huc ego criminibus Tartara tota voco.
Illic te pupum lacrymantem ea pura fouebat,
Hic cruce te extinctum per mea facta fleo.
Hæc ait, & rigidis torquens sua membra flagellis
Quam sibi deuincit per pia vota Deum!
Quisquis peccauit, penset sua crimina pœnis,
Quàm que insons fuerat, gratior esse queat.

98 *In morte Reu. Patris Vitalis Capuccini Pictoris, qui in pingendis sanctissimæ Virginis Mariæ imaginibus fuit egregius.*

EXimius sacris tabulas animare figuris
Vitalis moritur: nominis omen vbi est?
Heu vbi quæ pietas superum depingere diuam
Sanctiùs instituit, quà modò tantus eras?

Et qui sub cineres Francisci ferbuit ignis,
Ingens Augustæ Relligionis Amor?
Scilicet occubuit, Cæloque admissus amatæ
Virginis aspectu, quam bene pinxit, ouat.
Oh ita imaginibus nostri accendantur amores,
Tanti vt Pictoris fama perennis erit.

99 *Ad Diuam Annam Beatissimæ Virginis matrem, & Christi Domini Auiam.*

ANna parens, terras heu quæ contagia lædunt
Ni prodit gremio filia digna tuo!
At vix hanc edis, cum desperate salutem
Protinus vna vetas, & meliora iubes.
Tu paris Auroră, hæc Solem, dominaris vtrque,
Qualis es hinc terris? Aethere quanta potes?
Ergo orbi immerito Natamque, Deumque Nepotem
Demulce, vt meritŭ te veneratur humus.

100 *Ad Diuum Romanum Martyrem gloriosum.*

DVm, Romane, pati tam fortia strenuus audes,
Proh quàm Romulidum sanguine tacta refers!
At quòd pro Christo, fidei quòd honore subire
Hæc potes, augustis maior es ipse viris.
Perge, triumphanti se se tibi pandit Olympus,
Et pro Tarpeio sydera tota patent.
Te duce Romanis inuecta Colonia Cęlo est;
Quid tali dignum nomine plus faceres?

Di-

101 *Diuus Ioannes Gualbertus adhuc miles à Christo Domino de Cruce dignatus amplexu, quod hosti sui ipsius fratris interfectori pepercisset.*

INcidit armatus miles Gualbertus in hostem,
Qui sibi iam cæso fratre cruentus erat.
Protinus vlcisci certus stricto ense ruebat,
Cum Christi audito nomine deturnuit.
Nec solùm infenso lenitus corda pepercit,
Quin ipsum amplectens iussit abesse metu.
Oh facinus dignum, per quod Deus ipse reuellens
Se cruce in amplexu stringeret vsq. virum!
Strinxit,& immenso pensauit fœnore amorem:
Se se adeo officijs flectere Numen amat.

102 *De ingeniosissimo horologio, vbi Tempus per fenesticellam quasi carceris apparet.*
Redimite Tempus.

CErnite,qui sapitis,detentũ hîc carcere Tempus;
Oh quantum ingenij hoc exhibet artis opus!
Omnia nam quando fiunt mala tẽpore, quisnam
Carcere quis poterat dignior esse reus?
Ast heu quòd nullâ deuinctum compede cessat
Destruere hoc monstrum quidquid in orbe viget!
Ergo magis redimat sapiens sua tempora,& inde
Conscendens meritis astra perennis erit.

103 *In rurali Sacello quadam hedera per fenestram ingressa Christum Cruci affixum amplectitur.*

ERrantes hederæ, viden, vt non ampliùs errant,
In Cruce complexæ robora firma Deum?
Cerne, vt ad inuidiam pedibus dant oscula frondes,
In quibus humani cordis imago viret!
Cur pudet ex paruis hominem didicisse myricis,
Quàm bene stringendus pectore tantus Amor?

104 *Ad Diuum Laurentium, cuius martyrij die ferè decem millia ethnicorum fidei Catholicæ nomen dederunt.*

SIccine, Laurenti, crepitantibus vrere flammis,
Et mortis furias excipis vsque iocis?
Excipis, & lanias crudeliùs ore tyrannum,
Artubus inuitans vescier ore tuis.
Esse quid hoc reputem, nisi quòd tua funera ludis,
Dum beat interiùs te face diuus Amor?
Oh age, qui primus fœcundos senseris ignes!
Nam fidei palmas quot parit iste focus?

105 *Ad Diuam Claram Sarracenos Assisium obsidentes sanctissimæ Eucharistiæ pixide fugantem.*

VT Sarracenæ verterunt terga phalanges,
Agminaq. aspectu territa tota tuo !
Scilicet ille tibi, niueâ quem fruge latentem,
Clara, geris, sponsus militat ipse Deus.
Innocuas diri accipitres timuere Columbas,
Et liquidos fontes tangere fugit Aper.
Quam nobis hæc diua Ceres debellet Auernum,
Si sciat elicere hinc fulmina verus amor !

106 *In morte amici optimi Domini Mauri admodum adolescentis, quem alloquitur.*

HIc, vbi mortales terræ describimus orbem,
Grandia partimur regna, suumque decus;
Hic, vbi spe pueri, iuuenesque, virique senesque
Plena operum vitæ tempora diuidimus;
Vix regnum est mortis, vitæ morientis imago;
Vmbra capit rerum nos, velut vmbra sumus.
Hæc me, dum moreris primæuo in flore iuuentæ,
Maure, mones, magis vt funere vera vides.
In cælum admissus, puer optime, despicis inde
Hoc punctum, & rides, nos quid in orbe manet.

Ad

Te solue in lacrymas, cor, fletibus elue mentem,
Respunsent votis mitiùs astra meis.

111 *Mors est somnium*: Ex Tertulliano.

MOrs sõnus: quare moriens homo sõniat: & quid?
Quod viuens lusit, somniat, atque cupit.
Tunc meditatur opes, sua lucra requirit auarus;
Litem agitat Iudex, prælia Miles agit.
Quid, si quæ curæ non ipsà in morte relinquunt
Infelicem animum, tartara nigra merent?
Hic assuesce bonis, cælum meditare, Deumque;
Hinc tibi somnus erit mors, pretiosa quies.

112 *Ad Amicum Poëtam N. consolandum in morte eius filiæ paruulæ amabilissimæ.*

DVm vitę infaustos meditor, quos viuimus, annos,
Felicem, è cunis qui petit astra, reor.
Sæpe ita succisos flores imponimus aris,
Delicium redolens, germina grata Deo.
Quòd si fas miseris producere lòngiùs æuum,
Quàm multi scelerum blanda aconita bibunt!
Quàm paucis rectos virtutum scandere calles
Mens est, & superas fortiùs ire vias!
Cur dudum luges, citiùs quòd cara subiuit
Pi ia sydereos paruula sponsa thoros?
Plaude magis, Regi Aligerùm pia carmina pange,
Pupula cui faustè nupsit, & ante diem.

Ma-

113 *Magni Alexandri Macedonis Epitaphium.*

Hic ſitus eſt Magnus, modò puluis. Diſce, viator:
Fiunt magna cinis, parua quid ergo? nihil.

114 *Ad Dominum NN. Poëtam cultiſſimum, & iam celeberrimum, licet admodum iuuenem, & penè puerum.*

Macte animis, generoſe puer, cui ſcandere Pindi
Culmina largitus tantus Apollo fauet:
Cuius adorati maieſtas carminis omnem
Ornatum ante annos exhibet, omne decus:
Cui faſtiditus iam plaudere cogitur orbis,
Cum virtute, puer, viceris inuidiam.
Nec Mecænates deſint, nec præmia vati,
Alter qui potuit vel puer eſſe Maro.

115 *Homo contra omnem naturæ intentionem alios in homines inhumanus eſt, & ſæpe barbarus.*

Quãquã homini natura dedit miſereſcere, & intus
Sentire in fibris cor ſibi ineſſe pium;
Quî fit, vt innumeros percenſeat Orbis alumnos
Eumenidum, per quos deſtruit ira genus?
Cur rara Auguſtos numerat, rariſſima Titos
Aula? Tyrannorum tam viget atra ſeges?
Hinc

81 *Ad Marcum Tullium Ciceronem in Fuluiam Marci Antonij vxorem, quæ extincti Oratoris linguam acu pungit.*

ARpinas facunde, tuam vis aurea linguam
Fouit ita, vt gelidà in morte timenda foret.
Fuluia tam stulto terrore expalluit amens,
Vt non censuram dilacerarit acu.
Fallor, an expauit, ne funere mersa maritum
Carperet emeritis, vsque cruenta, notis?
Mentis inops furit hæc, facibusq. agitata Megæræ
Pro minuendo auget iurgia, probra viri.
Tu, diuine, Hæros, tali vel morte triumphas,
Dum tanti, quidquid dixeris, hostis habet.

82 *Ad Amicum, qui sibi Christum Cruci affixum aureum, gemmisq. distinctum dono miserat.*

TAm pretiosa mihi, diuinaq. munera mittis,
Vt par nec misso corde referre queam.
Ex auro, & gemmis dono largiris Iesum,
Qui sine thesauris sat pretiosus erat.
Oh decus eximium! oh Cælo venerabile munus!
Me miserum, si quid maius in orbe velim!
At tantis tibi pro meritis noua dona precabor;
Aurea det nobis, gemmea corda Deus.
Hoc amor vt deceat Numen, pereamus amando;
Hic obitus superis inuidiosus erit.

Ad

83 *Ad B. Aloysium Gonzagam.*

QVàm bene terrarum, Puer vnice, spernis amorē,
Quando diuus amor te ad meliora vocat!
Quàm bene dimittis regalia sceptra, domusque
Iura tuæ, & magno ex principe nudus ouas!
Perge, age; te sceptris transcribere discis olympi;
Osus opes, meritis sydera diues adis.
Iamq. tibi Deus ecce Deus tua sceptra rependit;
Dic, quo compenset fœnore Numen opes?

84 *Ad eundem, dum sibi calcaribus ilia dilacerat.*

ANne eget ista nouis calcaribus inclyta virtus,
Quæ per se æthereas deuorat ipsa vias?
Siccine amas quodcumque genus tolerare dolorum,
Insuetam in pœnam vt subdita membra voces?
Desine te innocuum stimulis lacerare cruentis,
Desine; sed magnus maxima cogit amor.
Inde viges; domito sensu velocior euris
Tollitur astra petens Spiritus; ergo sapis.

85 *Ad Diuum Ioannem Baptistam Christi Domini Præcursorem.*

VIx Puer exoreris, vox summi præuia Verbi,
Diuini solis phosphore, magne puer;
Cum noua Idumeas pertentant gaudia mentes,
Natusque in voces soluitur ipse Parens.

Nec

Nec tamen in te isthæc quamuis celsissima miror,
Qui nondum natus prodigiosus eras.
Visentem te in matre Deum, qui matris in aluo
Saltibus excipiens senseris ante diem.
Quantus eris, cum firma virum te fecerit ætas,
Si tantus primo fulseris vague gigas?

86 *Iudith Hebræorum heroina Holopherni hostili duci caput abscindit.*

FErt Iudittha ducis caput à ceruice recisum;
Fœmineæ factum quod potuere manus.
Isacidum excidijs armauerat ille phalanges,
Deq. viro tanto fœmina inermis ouat.
Bis cadit ipse miser: qui captus amore peribat,
Debuit vltrices inde subire faces.
At vos hinc, Iuuenes, fatalem discite formam:
Casta erat hæc mulier; quàm metuenda Venus?
Parcite per culpas indicere bella Tonanti,
Cui tanta hic tali est vltio facta manu.

87 *Viro sapienti orbis vniuersus est patria, exilium felix.*

QVantùm erras, quicunq viro fera damna minaris!
Est cunctis virtus grandior vna malis.
Hinc quoties patrià ciuis bonus exulat Vrbe,
Hec pulso, infelix Vrbs magis exul erit.
Ille autem externas quascunque accesserit oras,
Virtute, & proprio diues honore beat.
Hinc quibus excipiunt opibusq., & honoribus ipsum,
Hæc dominum ostentant esse vbicumque velit.

Qui-

Quiq. tenebatur paruà ceu sede reuinctus,
Quàm gestit, toto cui datur orbe frui?

88 *Ad candidum lectorem de suo libro, quem ipsi dedicat.*

EXcipe, lector, opus breuiore volumine molis;
Mens fuit hoc saltem displicuisse minus.
Non hìc inuenies Veneres, satyrosque procaces;
Hac mercede orbi nec placuisse velim.
Insulsas præstat sectari carmine nugas,
Quàm malè criminibus plaudere, ferre faces.
Ne graue sit niueis, lector, quòd versibus optem,
Si nequeo similis moribus esse tibi.

89 *Ad Vrbem Romam de D. Petro Apostolo.*

QVæ fueras quondam rerum pulcherrima Roma.
Vrbs Martis, Regum terror, & orbis apex;
Serua erroris eras, sed Piscatore magistro
Facta es iustitiæ dux, fideique caput.
Terrarum victrix Cælum modò victa triumphas:
Quid tibi te vincens non dedit illa Ratis?
Per Petrum gestis velut Vrbs dilecta Tonanti,
Per Piscatorem cœlica gemma micas.

90 *Quàm arduum sit nostris hisce temporibus boni Poetæ sibi nomen comparare.*

SI quis amat musis conscendere culmina famæ,
Proh quantà ferus merce laboris eget!

Prima poetarum cepere sedilia vates,
Aonij proceres gloria summa Iugi.
Calliope euexit plures, aliosque Thalia,
Ipsaq. Melpomene pluribus astra dedit.
Quid mihi, Terpsicore, tenui pro carmine spondes?
Stetterè præstiterit; gloria stulta, vale.

91 *Ad Beatissimam Virginem, dum abit in montana cum festinatione.*

PErge, age, Virgo, tuis pia gressibus ardua scandes
Iste amor, & feruens ignis ad alta rapit.
Virgineis tot figis humi miracula plantis,
Quot gressus; gaudet hoc pede terra premi.
Inde nouos referat fontes, noua gramina profert,
Inque nouos fętus, proxima sylua viget.
Hinc vernat rupes, ridet nemus, ora coruscat,
Rore madens iter hinc æstibus aura leuat.
Sic tibi in obsequium gestit natura, vicesque
Mutat; nam sentit, quem vehis ipsa sinu.

92 *Ad eandem, dum ingressa domum Zaccharia: saluiat Elisabeth.*

VIx pia tecta subis, cum te comitantur euntem
Prodigia, accessus sentit Elisa tuos.
Quin etiam clausus genitricis ventre Ioannes,
Ipse tibi in gremio sentit adesse Deum.
Sentit. & inflatus diuini Numinis aurà
Exiliens gestit sanctior ante diem.

Oh

Oh bene! Primus Adam peccando noxius olim
Vel nondum natum perdidit ille genus:
Par est, alter Adam non natum crimine vatem
Exoluens foueat sanctius ipse suum.
Per te, diua potens, tanta hæc miracula fiunt;
Tantos, quos, Virgo, viseris, alma facis.

93. Ad Dominum Herculem Brasauolam, de eruditissima lectione in laudem silentij ab eo habitâ Romæ in Imperfectorum Accademiâ.

NOn tam compescunt tua docta silentia linguas,
Quàm plausus meritos omnibus ore cient.
Sed nequit hæc dignas persoluere fistula laudes;
Non si Mæoniam redderet vsque tubam.
Quid si contempler, quæ sit vis aurea tanti
Eloquij? obsequio noster Apollo silet.
At tu ne taceas, trades nam mira loquendo,
Cui vis flexanima est, cui tot in ore sales.
Nunc quantū noceat mala lingua, docebitur Orbis;
Dignum erat hoc mōstrum te Hercule Garrulitas.

94 Ad Iuuenem quendam Accademicum execrantem cultissimis versibus profanos amores.

PErge venenatos lacerare Cupidinis arcus,
Ridendis Veneres carpere perge nouis;
Si modò respondent meditatis pectora diris,
Si mens est factis carmina, verba sequi.

Qua m metus est, velutivæ alia clamitat emptor
Esse mala, vt solers quæque minor s emat;
Sic tu ne inconstans mox illaudata requiras,
Et re, quæ tantùm carpseris ore, probes.
Heu fuge qu:dquid amas illudere versibus, & te
Nobili..r plausus, gloria vera manet.

95 *Nauis quædam prosperâ nauigatione ex Indis reuersa in patrio portu demergitur.*

SI nihil in terris tutum est, quis speret in vndis?
En proprio in portu naufraga puppis obit.
Viserat hæc ventis, votisq ferentibus Indos,
Et pelagi furias vicerat, atq. dolo:
Nunc vbi diues opum patriæ spem fecerat Vrbi.
Illius ante oculos mersa, dolore necat.
Heu quàm confinis funestat gaudia luctus!
Hæc priùs, & procul hinc debuit vsque rapi.

96 *Quidam in templo ante Crucem vetustate semesum, dum supplex orat, eodem Crucifixo Domino delapso interficitur.*

CRux fuit in templo grandis, qu m tanta vetustas
Ederat, vt sacrum vix ea ferret onus.
Hìc quidam supplex sua vota, precesq. Tonanti
Fundebat pronus, sydera mente petens;
Protinus euulsis clauis ruit inde Redemptor,
Inque hominem toto pondere procubuit.

Ille

Ille obit optando maceratus vulnere, & astris
(Credere ceu dignum est)hac nece vectus ouat.
Hic tamen exclamem; nam cor mortalia tangunt;
Mors vbi non est, si vita,salusq. necat?

97 *Diua Maria Magdalena in antro Massiliæ Cruci affixum Deum amplexa pios per affectus se se excruciat.*

NAte Puer quondam Bethleæ rupis in antro,
Quò te sordidiùs hæc Deus antra tenent?
Illic Virgo parens retulit virtutibus astra,
Huc ego criminibus Tartara tota voco.
Illic te pupum lacrymantem ea pura fouebat,
Hìc cruce te extinctum per mea facta fleo.
Hæc ait,& rigidis torquens sua membra flagellis
Quam sibi deuincit per pia vota Deum!
Quisquis peccauit,penset sua crimina pœnis,
Quàmque insons fuerat, gratior esse queat.

98 *In morte Reu.Patris Vitalis Capuccini Pictoris, qui in pingendis sanctissimæ Virginis Mariæ imaginibus fuit egregius.*

EXimius sacris tabulas animare figuris
Vitalis moritur; nominis omen vbi est?
Heu vbi quæ pietas superum depingere diuam
Sanctiùs instituit,quà modò tantus eras?

Et qui sub cineres Francisci ferbuit ignis,
Ingens Augustæ Religionis Amor?
Scilicet occubuit, Cæloque admissus amatæ
Virginis aspectu, quam bene pinxit, ouat.
Oh ita imaginibus nostri accendantur amores,
Tanti vt Pictoris fama perennis erit.

99 Ad Diuam Annam Beatissimæ Virginis matrem, & Christi Domini Auiam.

ANna parens, terras heu quæ contagia lædunt
Ni prodit gremio filia digna tuo!
At vix hanc edis, cum desperare salutem
Protinus vna vetas, & meliora iubes.
Tu patis Auroră, hæc Solem, dominaris vtr'que.
Qualis es hinc terris? Aethere quanta potes?
Ergo orbi immerito Natamque, Deumque Nepotem
Demulce, vt meritâ te veneratur humus.

100 Ad Diuum Romanum Martyrem gloriosum.

DVm, Romane, pati tam fortia strenuus audes,
Proh quàm Romulidum sanguine tacta refers!
At quòd pro Christo, fidei quòd honore subire
Hæc potes, augustis maior es ipse viris.
Perge, triumphanti se se tibi pandit Olympus,
Et pro Tarpeio sydera tota patent.
Te duce Romanis inuecta Colonia Cęlo est;
Quid tali dignum nomine plus faceres?

Di-

101 *Diuus Ioannes Gualbertus adbuc miles à Christo Domino de Cruce d gnatus amplexu, quod hosti sui ipsius fratris interfectori pepercisset.*

INcidit armatus miles Gualbertus in hostem,
Qui sibi iam cæso fratre cruentus erat.
Protinus vlcisci certus stricto ense ruebat,
Cum Christi audito nomine detumuit.
Nec solùm infenso lenitus corda pepercit,
Quin ipsum amplectens iussit abesse metu.
Oh facinus dignum, per quod Deus ipse reuellens
Se cruce in amplexu stringeret vsq. virum!
Strinxit,& immenso pensauit ignore amorem:
Se se adeo officijs flectere Numen amat.

102 *De ingeniosissimo horologio, vbi Tempus per fenestell'am quasi carceris apparet.*
Redimite Tempus.

CErnite,qui sapitis,detentũ hic carcere Tempus;
Oh quantum ingenij hoc exhibet artis opus!
Omnia nam quando fiunt mala tẽpore, quisnam
Carcere quis poterat dignior esse reus?
Ast heu quòd nullà deuinctum compede cessat
Destruere hoc monstrum quidquid in orbe viget!
Ergo magis redimat sapiens sua tempora,& inde
Conscendens meritis astra perennis erit.

103 *In rurali Sacello quadam hedera per fenestram ingressa Christum Cruci affixum amplectitur.*

ERrantes hederæ, viden, vt non ampliùs errant,
In Cruce complexæ robora firma Deum!
Cerne, vt ad inuidiam pedibus dent oscula frondes,
In quibus humani cordis imago viret!
Cur pudet ex paruis hominem didicisse myricis,
Quàm bene stringendus pectore tantus Amor?

104 *Ad Diuum Laurentium, cuius martyrij die ferè decem millia ethnicorum fidei Catholicæ nomen dederunt.*

SIccine, Laurenti, crepitantibus vrere flammis,
Et mortis furias excipis vsque iocis?
Excipis, & lanias crudeliùs ore tyrannum,
Artubus inuitans vescier ore tuis.
Esse quid hoc reputem, nisi quòd tua funera ludis,
Dum beat interiùs te face diuus Amor?
Oh age, qui primus fœcundos senseris ignes!
Nam fidei palmas quot parit iste focus?

Ad

105 *Ad Diuam Claram Sarracenos Assisium obsidentes sanctissimæ Eucharistiæ pixide fugantem.*

VT Sarracenæ verterunt terga phalanges,
Agminaq. aspectu territa tota tuo!
Scilicet ille tibi, niueà quem fruge latentem,
Clara, geris, sponsus militat ipse Deus.
Innocuas diri accipitres timuere Columbas,
Et liquidos fontes tangere fugit Aper.
Quam nobis hæc diua Ceres debellet Auernum,
Si sciat elicere hinc fulmina verus amor!

106 *In morte amici optimi Domini Mauri admodum adolescentis, quem alloquitur.*

HIc, vbi mortales terræ describimus orbem,
Grandia partimur regna, suumque decus;
Hic, vbi spe pueri, iuuenesque, virique senesque
Plena operum vitæ tempora diuidimus;
Vix regnum est mortis, vitæ morientis imago;
Vmbra capit rerum nos, velut vmbra sumus.
Hæc me, dum moreris primæuo in flore iuuentæ,
Maure, mones, magis vt funere vera vides.
In cælum admissus, puer optime, despicis inde
Hoc punctum, & rides, nos quid in orbe manet.

Ad

107 *Ad Amicum de mortuà vxore consolandum.*

DEsine inexhaustis cælum pulsare querelis;
Te quamuis deceat nobilis iste dolor.
Coniugis amissæ nam tu lacrymatis amores?
Tale iugum multis perdere dulce foret.
Vos raro fidei exemplo vixistis; at iste
Extinctam in te animat prodigiosus amor.
Si tulit illa tui partem pars optima, viuit
In te eadem viuo: num patiere mori?

108 *Ad Dominum* Ioannem *Lottum virum eruditissimum, & Poëtam celeberrimum, Præfectum morum excellentiss. Principibus Domini Laurentij Magni Comitis* Stabilis *Columnæ filijs traditum.*

SI Chiron, ceu fama refert, instruxit Achillem.
Acr is heroum vt curreret ille vias:
Principibus meritò magis inuidet orbis alumnis,
Lotte, tuis, Charitum quos genus omne doces.
Hinc pueri historias vel condito ab orbe renarrant,
Et callent, vatum somnia quidquid habent.
Quid, quòd ita exigui modulantur Apollinis artem,
Versibus vt salium fulguret omne decus?
Iam pridem norunt describere partibus orbem,
Quin tangunt quidquid docta Stagira sapit.

Tot

Tot titulis quanquam Laurentius audiat Heros,
Per tales Gnatos inuidiosus ouat.

109 *In morte celeberrimi Principis, & bellatoris Galliarum N. Turrenæ.*

TAurena occubuit, tuus, inclyta Gallia, Mauors,
Cuius & ad nomen contremuere duces;
Cui numquam dubijs risit victoria pennis,
Cum palmas vni huic cogere bella forent.
Cui tam grande tuum, si vel, fortuna, dedisses
In pugnis serò vincere, crimen erat:
Qui dubium est plures, num mẽte, manuue triũphos
Gesserit, ingenio an robore præstiterit.
Fulmineo iacet ecce globo prostratus, at hostis
Horret adhuc; aliter non cadit iste Gigas.

110 *De Echo inter montes præruptos in solitudine, & inde monitum.*

VOx isthæc, nymphā quam tradidit esse vetustas,
Quæ acceptos reddit, vi redeunte, sonos;
Hic rupes inter querulos miserata dolores,
Vt corda exorneret questibus, addit opem.
At me, si capio, sonus admonet altiùs iste;
Hæc vox est vitæ tristis imago meæ.
Namque ego, criminibus dum sæpius astra lacesso
In pœnam, flagris Numinis armo manum.
Si prece mox cælum, superosque in vota fatigo,
Tum mihi respondeat crimina, pęna pluit.

Te

107 *Ad Amicum de mortuà vxore consolandum.*

DEsine inexhaustis cælum pulsare querelis;
Te quamuis deceat nobilis iste dolor.
Coniugis amissæ nam tu lacrymatis amores;
Tale iugum multis perdere dulce foret.
Vos raro fidei exemplo vixistis; at iste
Extinctam in te animat prodigiosus amor.
Si tulit illa tui partem pars optima, viuit
In te eadem viuo: num patiere mori?

108 *Ad Dominum Ioannem Lottum virum eruditissimum, & Poëtam celeberrimum, Præfectum morum excellentiss. Principibus Domini Laurentij Magni Comitis Stabilis Columnæ filijs traditum.*

SI Chiron, ceu fama refert, instruxit Achillem,
Artibus heroum vt curreret ille vias:
Principibus meritò magis inuidet orbis alumnis,
Lotte, tuis, Charitum quos genus omne docet.
Hinc pueri historias vel condito ab orbe renarrant,
Et callent, vatum somnia quidquid habent.
Quid, quòd ita exigui modulantur Apollinis artem,
Versibus vt falsum fulguret omne decus?
Iam pridem norunt describere partibus orbem,
Quin tangunt quidquid docta Stagira sapit.

Tot

Tot titulis quanquam Laurentius audiat Heros,
Per tales Gnatos inuidiosus ouat.

109 *In morte celeberrimi Principis, & bellatoris Galliarum N. Turrenæ.*

TAurena occubuit, tuus, inclyta Gallia, Mauors.
Cuius & ad nomen contremuere duces;
Cui numqnam dubijs risit victoria pennis,
Cum palmas vni huic cogere bella forent,
Cui tam grande tuum, si vel, fortuna, dedisses
In pugnis serò vincere, crimen erat:
Qui dubium est plures, num mẽte, manuue triũphos
Gesserit, ingenio, an robore præstiterit.
Fulmineo iacet ecce globo prostratus, at hostis
Horret adhuc; aliter non cadit iste Gigas.

110 *De Echo inter montes præruptos in solitudine, & inde monitum.*

VOx isthæc, nymphã quam tradidit esse vetustas,
Quæ acceptos reddit, vi redeunte, sonos;
Hic rupes inter querulos miserata dolores,
Vt corda exorneret questibus, addit opem.
At me, si capio, sonus admonet altiùs iste;
Hæc vox est vitæ tristis imago meæ.
Namque ego, criminibus dum sæpius astra lacesso
In pœnam, flagris Numinis armo manum.
Si prece mox cælum, superosque in vota fatigo,
Tum mihi respondent crimina, pęna pluit.

Te

Te solue in lacrymas, cor, fletibus elue mentem,
  Respunsent votis mitiùs astra meis.

111 *Mors est somnium* : Ex Tertulliano.

MOrs sõnus: quare moriens homo sõniat: & quid?
  Quod viuens lusit, somniat, atque cupit.
Tunc meditatur opes, sua lucra requirit auarus;
  Litem agitat Iudex, prælia Miles agit.
Quid, si quæ curæ non ipsà in morte relinquunt
  Infelicem animum, tartara nigra merent?
Hic assuesce bonis, cælum meditare, Deumque;
  Hinc tibi somnus erit mors, pretiosa quies.

112 *Ad Amicum Poëtam N. consolandum in morte eius filiæ paruulæ amabilissimæ.*

DVm vitę infaustos meditor, quos viuimus, annos,
  Felicem, è cunis qui petit astra, reor.
Sæpe ita succisos flores imponimus aris,
  Delicium redolens, germina grata Deo.
Quòd si fas miseris producere longiùs æuum,
  Quàm multi scelerum blanda aconita bibunt!
Quàm paucis rectos virtutum scandere calles
  Mens est, & superas fortiùs ire vias!
Cur dudum luges, citiùs quòd cara subiuit
  Pia ia sydereos paruula sponsa thoros?
Plaude magis, Regi Aligerùm pia carmina pange,
  Pupula cui faustè nupsit, & ante diem.

Ma-

113 *Magni Alexandri Macedonis Epitaphium.*

HIc situs est Magnus, modò puluis. Disce, viator:
Fiunt magna cinis, parua quid ergo? nihil.

114 *Ad Dominum NN. Poëtam cultissimum, & iam celeberrimum, licet admodum iuuenem, & penè puerum.*

MActe animis, generose puer, cui scandere Pindi
Culmina largitus tantus Apollo fauet:
Cuius adorati maiestas carminis omnem
Ornatum ante annos exhibet, omne decus:
Cui fastiditus iam plaudere cogitur orbis,
Cum virtute, puer, viceris inuidiam.
Nec Mecænates desint, nec præmia vati,
Alter qui potuit vel puer esse Maro.

115 *Homo contra omnem naturæ intentionem alios in homines inhumanus est, & sæpe barbarus.*

QVâquâ homini natura dedit miserescere, & intus
Sentire in fibris cor sibi inesse pium;
Qui fit, vt innumeros percenseat Orbis alumnos
Eumenidum, per quos destruit ira genus?
Cur rara Augustos numerat, rarissima Titos
Aula? Tyrannorum tam viget atra seges?

Hinc

Hinc passim bellis malè perditus ingemit orbis,
Vix inter fratres est sine clade domus.
Heu! homini alter homo veluti Natura magistra est,
Debuit esse Deus, maluit esse lupus.

116 *Venationis oblectatio.*

DVm lepus, atque canis pennatis cursibus arua
Sic vorat, vt fulmen lentiùs ire putes:
Quid spes, quidque metus valeat, meditare; videntur
Hic prædam, ille animam credere posse fugæ.
Sentit anhelantis tangi se dente; sed audax
Se lepus è cursu vertit, abitque canis.
Prodigiosus amor vitæ! fera paruula discit
Hinc sectatorem fallere sæpe suum.
Gaudet venator; sed non intelligit, vt se
Nescia mors falli sic premit, atque necat.

117 *Post humidam æstatem lustrali anno 1675. mitior autumnus poma ad maturitatem perduxit.*

QVamuis transierit moderata caloribus æstas,
Et vix aruerit tempore flaua Ceres;
Miror, vt induerint hìc punica mala ruborem,
Perq. sua Autumnus poma corônet humum.
Hei mihi, cui æstas, vitæque Autumnus inanis,
Et sine virtutum fructibus interijt!
O largire, tui radius me tangat amoris,
Sol Deus; vberior fructibus ibit hyems.

In

118 *In Phyllidem nuper pulcherrimam breuissimo statim morbo deformatam.*

QVàm citò deficiunt formæ mortalis honores!
Quàm citò flos omnis languet! adeste, proci:
Oh legite indignas in Phillidis ore ruinas;
Quale heu delicium mortis imago subit!
Lilia quàm subitò periere, rosæque genarum
Cessere in violas; omnia pallor habet!
Frontis vbi decus est, gemini, duo lumina, soles?
Phyllidis in vestrà Phyllide quid superest?
Discite ab immeritis auertere rebus amores;
Non defecturum discite amare bonum.

119 *Ad Dominum Sebastianum Baldinum Poëtam celeberrimum de sue, quem dono acceptum ab Eminentiss. Chisio eruditissimè carminibus laudauerat.*

RErum immortales Plato formas credidit esse,
Iure sed oppositum tota Stagirà docet.
Cuncta æterna vigent supremà in mente Tonantis;
Hanc extra æternum dicitur esse nihil.
Ingenio, Baldine, tuo diuina potestas
Est: fit perpetuum, quod tua musa canit.
Mittit amica suem tibi munere Chisia Quercus,
Atq. humilem resonant hanc tua plectra feram.
Si sophos ille igitur redeat, ne rursus oberret,
Baldini æternum dixerit esse suem.

120 *In Ponticum sericis vestibus superbientem.*

FRonde satur talem vilis tibi vermis amictum
 Euomuit; tali veste quid ergo tumes?
Te potiùs frondi similem arguit ipsa, tuàque
 Exiguo vermi conditione parem.
Nunc vestit viuum te vermis mortuus; heu mox
 Viuus te extinctum, Pontice, vermis edet.

121 *Ad Lectorem de suo libello.*

PArce mihi, quisquis iam legeris ista, placere
 Ni potui, quamuis hæc mihi vota forent.
Si tibi displicui, quod noliem, en tædia cessant,
 Tu landem, quòd me legeris, inde meres.
Omne feres punctum, si consolaberis orbem,
 Optimaque edendo rite magister eris.
Ipse tibi plaudam; hæc mala fercula te ipsa iuuabũt,
 Post quæ propines nectar, & ambrosiam.

FINIS.



mo
mole
galli
rec
nro
fer
por

Quam metus est, velutivæ alia clamitat emptor
 Esse mala,vt solers quæque minoris emat:
Sic tu ne inconstans mox illaudata requiras,
 Et re, quæ tantùm carpseris ore,probes.
Heu fuge quidquid amas illudere versibus, & te
 Nobiliter plausus,gloria vera manet.

95 *Nauis quædam prosperâ nauigatione ex Indis reuersa in patrio portu demergitur.*

SI nihil in terris tutum est, quis speret in vndis?
 En proprio in portu naufraga puppis obit.
Viserat hæc ventis, votisq ferentibus Indos,
 Et pelagi furias vicerat, atq.dolos:
Nunc vbi diues opum patriæ spem fecerat Vrbi.
 Illius ante oculos mersa,dolore necat.
Heu quàm confinis funestat gaudia luctus!
 Hæc priùs,& procul hinc debuit vsque rapi.

96 *Quidam in templo ante Crucem vetustate semesam, dum supplex orat, eodem Crucifixo Domino delapso interficitur.*

CRux fuit in templo grandis,quam tanta vetustas
 Ederat,vt sacrum vix ea ferret onus.
Hìc quidam supplex sua vota, precesq.Tonanti
 Fundebat pronus,sydera mente petens;
Protinus euulsis clauis ruit inde Redemptor,
 Inque hominem toto pondere procubuit.

Ille

Ille obit optando maceratus vulnere, & astris
(Credere ceu dignum est)hac nece vectus ouat.
Hic tamen exclamem; nam cor mortalia tangunt;
Mors vbi non est, si vita, salusq. necat?

97 Diua Maria Magdalena in antro Massiliæ Cruci affixum Deum amplexa pios per affectus se se excruciat.

NAte Puer quondam Bethleæ rupis in antro,
Quò te sordidiùs hæc Deus antra tenent?
Illic Virgo parens retulit virtutibus astra,
Huc ego criminibus Tartara tota voco.
Illic te pupum lacrymantem ea pura fouebat,
Hic cruce te extinctum per mea facta fleo.
Hæc ait,& rigidis torquens sua membra flagellis
Quam sibi deuincit per pia vota Deum!
Quisquis peccauit, penset sua crimina pænis,
Quàm que insons fuerat, gratior esse queat.

98 In morte Reu.Patris Vitalis Capuccini Pictoris, qui in pingendis sanctissimæ Virginis Mariæ imaginibus fuit egregius.

EXimius sacris tabulas animare figuris
Vitalis moritur; nominis omen vbi est?
Heu vbi quæ pietas superum depingere diuam
Sanctiùs instituit,quà modò tantus eras?

Et qui sub cineres Francisci ferbuit ignis,
Ingens Augustæ Relligionis Amor?
Scilicet occubuit, Cæloque admissus amatæ
Virginis aspectu, quam bene pinxit, ouat.
Oh ita imaginibus nostri accendantur amores,
Tanti vt Pictoris fama perennis erit.

99 *Ad Diuam Annam Beatissimæ Virginis matrem, & Christi Domini Auiam.*

ANna parens, terras heu quæ contagia lædunt
Ni prodit gremio filia digna tuo!
At vix hanc edis, cum desperare salutem
Protinus vna vetas, & meliora iubes.
Tu paris Aurorã, hæc Solem, dominaris vtr'que,
Qualis es hinc terris? Aethere quanta potes?
Ergo orbi immerito Natamque, Deumque Nepotem
Demulce, vt meritã te veneratur humus.

100 *Ad Diuum Romanum Martyrem gloriosum.*

DVm, Romane, pati tam fortia strenuus audes,
Proh quàm Romulidum sanguine facta refers!
At quòd pro Christo, fidei quòd honore subire
Hæc potes, augustis maior es ipse viris.
Perge, triumphanti se se tibi pandit Olympus,
Et pro Tarpeio sydera tota patent.
Te duce Romanis inuecta Colonia Cçlo est;
Quid tali dignum nomine plus faceres?

Di-

101 *Diuus Ioannes Gualbertus adbuc miles à Christo Domino de Cruce dignatus amplexu, quod hosti sui ipsius fratris interfectori pepercisset.*

INcidit armatus miles Gualbertus in hostem,
Qui sibi iam cæso fratre cruentus erat.
Protinus vlcisci certus stricto ense ruebat,
Cum Christi audito nomine derumuit.
Nec solùm infenso lenitus corda pepercit,
Quin ipsum amplectens iussit abesse metu.
Oh facinus dignum, per quod Deus ipse reuellens
Se cruce in amplexu stringeret vsq. virum!
Strinxit,& immenso pensauit ţenore amorem:
Se se adeo officijs flectere Numen amat.

102 *De ingeniosissimo horologio, vbi Tempus per fenestellam quasi carceris apparet. Redimite Tempus.*

CErnite,qui sapitis,detentũ hic carcere Tempus?
Oh quantum ingenij hoc exhibet artis opus!
Omnia nam quando fiunt mala tẽpore, quisnam
Carcere quis poterat dignior esse reus?
Ast heu quòd nullà deuinctum compede cessat
Destruere hoc monstrum quidquid in orbe viget!
Ergo magis redimat sapiens sua tempora,& inde
Conscendens meritis astra perennis erit.

103 *In rurali Sacello quadam hedera per fenestram ingressa Christum Cruci affixum amplectitur.*

ERrantes hederæ, viden, vt non ampliùs errant,
In Cruce complexæ robora firma Deum?
Cerne, vt ad inuidiam pedibus dent oscula frondes,
In quibus humani cordis imago viret!
Cur pudet ex paruis hominem didiciffe myricis,
Quàm bene ftringendus pectore tantus Amor?

104 *Ad Diuum Laurentium, cuius martyrij die ferè decem millia ethnicorum fidei Catholicæ nomen dederunt.*

SIccine, Laurenti, crepitantibus vrere flammis,
Et mortis furias excipis vfque iocis?
Excipis, & lanias crudelius ore tyrannum,
Artubus inuitans vefcier ore tuis.
Effe quid hoc reputem, nifi quòd tua funera ludis,
Dum beat interiùs te face diuus Amor?
Oh age, qui primus fœcundos fenferis ignes!
Nam fidei palmas quot parit ifte focus?

Ad

105 *Ad Diuam Claram Sarracenos Assisium obsidentes sanctissima Eucharistiæ pixide fugantem.*

VT Sarracenæ verterunt terga phalanges,
Agminaq. aspectu territa tota tuo!
Scilicet ille tibi, niueà quem fruge latentem,
Clara, geris, sponsus militat ipse Deus.
Innocuas diri accipitres timuere Columbas,
Et liquidos fontes tangere fugit Aper.
Quam nobis hæc diua Ceres debellet Auernum,
Si sciat elicere hinc fulmina vesus amor!

106 *In morte amici optimi Domini Mauri admodum adolescentis, quem alloquitur.*

HIc, vbi mortales terræ describimus orbem,
Grandia partimur regna, suumque decus;
Hìc, vbi spe pueri, iuuenesque, virique senesque
Plena operum vitæ tempora diuidimus;
Vix regnum est mortis, vitæ morientis imago;
Vmbra capit rerum nos, velut vmbra sumus.
Hæc me, dum moreris primæuo in flore iuuentæ,
Maure, mones, magis vt funere vera vides.
In cælum admissus, puer optime, despicis inde
Hoc punctum, & rides, nos quid in orbe manet.

Ad

107 *Ad Amicum de mortuâ uxore consolandum.*

DEsine inexhaustis cælum pulsare querelis;
Te quamuis deceat nobilis iste dolor.
Coniugis amissæ nam tu lacrymatis amores!
Tale iugum multis perdere dulce foret.
Vos raro fidei exemplo vixistis; at iste
Extinctam in te animat prodigiosus amor.
Si tulit illa tui partem pars optima, viuit
In te eadem viuo: num patiere mori?

108 *Ad Dominum Ioannem Lottum virum eruditissimum, & Poëtam celeberrimum, Præfectum morum excellentiss. Principibus Domini Laurentij Magni Comitis Stabilis Columnæ filijs traditum.*

SI Chiron, ceu fama refert, instruxit Achillem,
Acr.ùs heroum vt curreret ille vias:
Principibus meritò magis inuidet orbis alumnis,
Lotte, tuis, Charitum quos genus omne doces.
Hinc pueri historias vel condito ab orbe renarrant,
Et callent, vatum somnia quidquid habent.
Quid, quòd ita exigui modulantur Apollinis artem,
Versibus vt salium fulguret omne decus?
Iam pridem norunt describere partibus orbem,
Quin tangunt quidquid docta Stagira sapit.
Tot

Tot titulis quanquam Laurentius audiat Heros,
Per tales Gnatos inuidiosus ouat.

109 *In morte celeberrimi Principis, & bellatoris Galliarum N. Turrenæ.*

TAurena occubuit, tuus, inclyta Gallia, Mauors,
Cuius & ad nomen contremuere duces;
Cui numqnam dubijs risit victoria pennis,
Cum palmas vni huic cogere bella forent,
Cui tam grande tuum, si vel, fortuna, dedisses
In pugnis serò vincere, crimen erat:
Qui dubium est plures, num mẽte, manuue triũphos
Gesserit, ingenio, an robore præstiterit.
Fulmineo iacet ecce globo prostratus; at hostis
Horret adhuc; aliter non cadit iste Gigas.

110 *De Echo inter montes præruptos in solitudine, & inde monitum.*

VOx isthæc, nymphã quam tradidit esse vetustas,
Quæ acceptos reddit, vi redeunte, sonos;
Hic rupes inter querulos miserata dolores,
Vt corda exoneret questibus, addit opem.
At me, si capio, sonus admonet altiùs iste;
Hæc vox est vitæ tristis imago meæ.
Namque ego, criminibus dum sæpius astra lacesso
In pœnam, flagris Numinis armo manum.
Si prece mox cælum, superosque in vota fatigo,
Tum mihi respondeat crimina, pęna pluit.

Te

Te solue in lacrymas, cor, fletibus elue mentem,
Respunsent votis mitiùs astra meis.

111 *Mors est somnium*: Ex Tertulliano.

MOrs sõnus: quare moriens homo sõniat; & quid?
Quod viuens lusit, somniat, atque cupit.
Tunc meditatur opes, sua lucra requirit auarus;
Litem agitat Iudex, prælia Miles agit.
Quid, si quæ curæ non ipsâ in morte relinquunt
Infelicem animum, tartara nigra merent?
Hìc assuesce bonis, cælum meditare, Deumque;
Hinc tibi somnus erit mors, pretiosa quies.

112 *Ad Amicum Poëtam N. consolandum in morte eius filiæ paruulæ amabilissimæ.*

DVm vitę infaustos meditor, quos viuimus, annos,
Felicem, è cunis qui petit astra, reor.
Sæpe ita succisos flores imponimus aris,
Delicium redolens, germina grata Deo.
Quòd si fas miseris producere lóngiùs æuum,
Quàm multi scelerum blanda aconita bibunt!
Quàm paucis rectos virtutum scandere calles
Mens est, & superas fortiùs ire vias!
Cur dudum luges, citiùs quòd cara subiuit
Filia sydereos paruula sponsa thoros?
Plaude magis, Regi Aligerùm pia carmina pange,
Pupula cui faustè nupsit, & ante diem.

Ma-

113 *Magni Alexandri Macedonis Epitaphium.*

HIc situs est Magnus, modò puluis. Disce, viator:
Fiunt magna cinis, parua quid ergo? nihil.

114 *Ad Dominum NN. Poëtam cultissimum, & iam celeberrimum, licet admodum iuuenem, & penè puerum.*

MActe animis, generose puer, cui scandere Pindi
Culmina largitus tantus Apollo fauet:
Cuius adorati maiestas carminis omnem
Ornatum ante annos exhibet, omne decus:
Cui fastiditus iam plaudere cogitur orbis,
Cum virtute, puer, viceris inuidiam.
Nec Mecænates desint, nec præmia vati,
Alter qui potuit vel puer esse Maro.

115 *Homo contra omnem naturæ intentionem alios in homines inhumanus est, & sæpe barbarus.*

QVáquā homini natura dedit miserescere, & intus
Sentire in fibris cor sibi inesse pium;
Qui fit, vt innumeros percenseat Orbis alumnos
Eumenidum, per quos destruit ira genus?
Cur rara Augustos numerat, rarissima Titos
Aula? Tyrannorum tam viget atra seges?

Hinc

Hinc passim bellis malè perditus ingemit orbis,
Vix inter fratres est sine clade domus.
Heu! homini alter homo veluti Natura magistra est,
Debuit esse Deus, maluit esse lupus.

116 *Venationis oblectatio.*

DVm lepus, atque canis pennatis cursibus arua
Sic vorat, vt fulmen lentiùs ire putes:
Quid spes, quidque metus valeat, meditare; videntur
Hic prædam, ille animam credere posse fugæ.
Sentit anhelantis tangi se dente; sed audax
Se lepus è cursu vertit, abitque canis.
Prodigiosus amor vitæ! fera paruula discit
Hinc sectatorem fallere sæpe suum.
Gaudet venator; sed non intelligit, vt se
Nescia mors falli sic premit, atque necat.

117 *Post humidam æstatem lustrali anno 1675. mitior autumnus poma ad maturitatem perduxit.*

QVamuis transierit moderata caloribus æstas,
Et vix aruerit tempore flaua Ceres;
Miror, vt induerint hìc punica mala ruborem,
Perq. sua Autumnus poma coronet humum.
Hei mihi, cui æstas, vitæque Autumnus inanis,
Et sine virtutum fructibus interijt!
O largire, tui radius me tangat amoris,
Sol Deus; vberior fructibus ibit hyems.

In

118 *In Phyllidem nuper pulcherrimam breuissimo statim morbo deformatam.*

QVàm citò deficiunt formæ mortalis honores!
Quàm citò flos omnis languet! adeste, proci:
Oh legite indignas in Phillidis ore ruinas;
Quale heu deliciùm mortis imago subit!
Lilia quàm subitò periere, rosæque genarum
Cessere in violas; omnia pallor habet!
Frontis vbi decus est, gemini, duo lumina, soles?
Phyllidis in vestrà Phyllide quid superest?
Discite ab immeritis auertere rebus amores;
Non defecturum discite amare bonum.

119 *Ad Dominum Sebastianum Baldinum Poëtam celeberrimum de sue, quem dono acceptum ab Emintiss. Chisio eruditissimè carminibus laudauerat.*

REum immortales Plato formas credidit esse,
Iure sed oppositum tota Stagirà docet.
Cuncta æterna vigent supremà in mente Tonantis;
Hanc extra æternum dicitur esse nihil.
Ingenio, Baldine, tuo diuina potestas
Est: sit perpetuum, quod tua musa canit.
Mittit amica suem tibi munere Chisia Quercus,
Atq. humilem resonant hanc tua plectra feram.
Si sophos ille igitur redeat, ne rursus oberret,
Baldini æternum dixerit esse suem.

In

120 *In Ponticum sericis vestibus superbientem.*

FRonde satur talem vilis tibi vermis amictum
Euomuit; tali veste quid ergo tumes?
Te potiùs frondi similem arguit ipsa, tuàque
Exiguo vermi conditione parem.
Nunc vestit viuum te vermis mortuus; heu mox
Viuus te extinctum, Pontice, vermis edet.

121 *Ad Lectorem de suo libello.*

PArce mihi, quisquis iam legeris ista, placere
Ni potui, quamuis hæc mihi vota forent.
Si tibi displicui, quod nollem, en tædia cessant;
Tu landem, quòd me legeris, inde meres.
Omne feres punctum, si consolaberis orbem,
Optimaque edendo rite magister eris.
Ipse tibi plaudam; hæc mala fercula te ipsa iuuabũt,
Post quæ propines nectar, & ambrosiam.

F I N I S.



mo
mole
galli
rec
mo
lei
por



